ORATIO DE DIVO LV-THERO, ET DE CONFESSIO-ne Augustana, recitata 4. Decemb. 1590. Hildesiæ.







AVGVSTANAE CONFESSIOnis enarrationem in manus sumentibus, occurrit statim etiam temporis ratione, nobis quodammodo necessitas aliquid de Origine, primordijs, causis, & progressu illius referendi & repetendi: quod vt commodè ad Dei gloriam & auditorum vtilitatem, & de multis arduis rebus commonefactionem maximè necessariam, præsertim hoc obliuioso, & tamen censurarum, vel potius calumniarum pleno seculo, fieri possit, necesse est, post inuocationem ac implorationem [illegible] vt omnis oratio incipit, ita & ad finem felicem perducitur: initium facere à mentione & historia Magni illius Lutheri, cuius ministerio Christus Theantropos & Philanthropos seruator, ad doctrinæ repurgationem & Confessionem, de qua iam agimus, vsus est.

Veni sancte Spiritus, veni dator munerum, dona teipsum nobis, dona os & sapientiam ad annunciandam laudem tuam. Da successum, vt cum fructu doceamus, & auditores reuerenter verbum tuum accipiant, & beneficia tua considerent, & inde emendentur, ac tibi gratias agant hic & alibi, nunc & in æternum.

Faciemus ergo initium ab anno millesimo, quadringentesimo, octogesimo tertio, quo Martinus Lutherus natus est Islebij Cheruscorum in Comitatu Mansfeldico, nimirum, pridie Martini, & eodem anno, quo magnus ille Monachus & sanctus Martyr Hieronymus Nicolai Sauona- 1483.

 rola,

rola, Italus, publicis concionibus & scriptis, Romanæ Pontificiæ Ecclesiæ idolatricos cultus & abusus, vitamq; horrendas pœnas attrahentem, Florentiæ taxare cepit, tandemq; propterea post annos quindecim, ibidem laqueo suffocatus, & crematus fuit, iussu Alexandri VI.

1 4 9 7.

Islebiæ in schola vrbica, cuius encomium semper fuit illustre, educatus & informatus puer Lutherus, anno ætatis decimo quarto missus est Magdeburgum in scholam olim celebrem, vbi cum quibusdam alijs condiscipulis suis panem propter Deum ostiatim petens quæsiuit, & elapso anno vno, inde Isennacum patriam matris suæ profectus est ad cognatos & affines, ibiq; quadriennium perdiscendis literis operam diligentem nauauit.

1 5 0 3.

Natus annos viginti Erfordiam venit in Academiam, ubi fortè nactus sacrorum Bibliorum latinè scriptorum copiam, sump[illegible]nquam viderat, toto pectore exoptauit, sibi tantum vitæ spacium à Deo concedi, quo librum hunc planè dissimilem scholasticorum doctorũ commentis, comparare ipse, & assidua lectione euoluere possit, quo facto, se paratum & promtum esse ad valedicendum huic vitæ. Inciderat inter legendum in historiam Annæ matris Samuelis, qua mirificè delectatus, Deum precatus est, se quoq; exaudiri & gubernari, secundum Annæ canticum, in quo hæc sunt verba: Dominus mortificat & viuificat, deducit ad inferos, & reducit. Dominus pauperem facit, & diuitem, humiliat & subleuat. Suscitat de puluere inopem, & de stercore eleuat pauperem &c. Quanta hæc, inquit, consolatio est pro pauperibus scholasticis scripta, in quorum numero ego sum? Vtq; re ipsa examen & effectum huius promissionis Lutherus subiret & sentiret, incidit in morbum planè lethalem, cumq; expectaret euocationem ex hac ærumnarum valle, quidam senior Ecclesiæ minister eum al-

locutus est, Non morieris, inquiens, Deus te seruabit, in virum magnum euades, multosq; ipse consolaberis, & in viam & vitam reduces. Huius consolationis vim adeo penetrasse animum dixit Lutherus, vt statim inde conualesceret, & in totius vitæ suæ curriculo illius memor esset, ceu Prophetiæ & precationis efficacissimæ.

1505.

Erfordiæ gradu Magisterij ornatus est, cùm esset annorum viginti duorum. Et prædicata est ipsius eruditio & pietas à præceptoribus & condiscipulis. Cumq; ex his quidam miserabiliter confossus interiisset, & emissi fulminis ictus in consternationem extremam Lutherum coniecisset, conscientiam teneram & pauidam consulens votum fecit, se Eremitanum Augustini institutum complexurum esse, atq; hoc animo monasterium clam, & quidem post cœnam, ad quam populares & condiscipulos inuitarat, noctu, nescientibus amicis & parentibus, non sine læsione & morsu conscientiæ, vt postea sæpe confessus est ipse, ingressus est, missis postridie literis ad amicos & parentes, quibus hoc factum significaret, & qui non sine lacrymis dolerent, tantum ingenium in monastico specu & semimortua vita sepultum tere. Per integrum biduum condiscipuli & amici, studiosi & alii monasterium obseruarunt & quasi cinxerunt, recuperare Lutherum inde volentes: sed fores ita occlusæ & munitæ fuerunt, vt ad inter[illegible] ensis spacium nemini pateret ingressus ad Lutherum, donec Pater ipsius Islebio Erfordiam veniens admitteretur, & inter reliqua etiam his verbis filium alloqueretur: Vide ne metus & terror tuus sit diabolica illusio, cùm certum sit Deum velle, vt liberi parentum suorum consilijs vtantur, & illis se subijciant. Quibus verbis adeò perculsum, & fractum fuisse animum suum fatetur Lutherus, vt donec rursum monastico capitio liberaretur, quod post multos sane annos factum est, scrupulum istum animo eximere non potuerit.

In monasterio animum ad lectionem sacrorum Bibliorum appulit. Sed monachi sordidos & vulgares labores ipsi vt nouitio imposuerunt, expurgationem contignationum, templi custodiam, horologij directionem, &, vt locuti fuere, per ciuitatem cum sacco emissionem, prætendendo, vitam monasticam non studijs priuatis, sed conquisitione panis, frumenti, ouorum, piscium, carnium, pecuniæ, & similium rerum augeri & crescere. Et nisi Academia, cuius membrum ipse esset, diligenter intercessisset, non fuisset facile oneribus istis subleuatus.

1 5 0 7.

Professione facta, cucullatus, & Missis celebrandis, crebris ieiunijs, vigilijs, & horarum obseruatione, sanctorum inuocatione, & similibus exercitijs frustra emaceratus, sacerdotij primitijs, &, vt ipse nominat, encenijs initiatus est mense Maio.

Sacerdos factus, iussus est omissis sacris Biblijs ex obedientia legere scholastica & sophistica scripta, ex quibus cum nullam vel certitudinem doctrinæ & fidei, vel consolationem percipere posset, incidit in difficilimos spiritualis tristitiæ paroxysmos, ex quibus prius se extricare non potuit, quàm à quodam pio fratre, sene, monach[illegible], qui ceu rosa inter spinas & tribulos eminuerat, in Confession[illegible] rectus, & ad gratuitam peccatorum remissiónem secundum symboli verba, Credo remissionem peccatorum, reductus, & animo ita confirmatus fuisset [illegible] vt sæpissimè canendo læ[illegible]us repeteret illud: O beata culpa, [illegible] talem meruisti Redemtorem. Et solitus est Lutherus sæpenumerò prædicare, illius senioris fratris dexteritatem & pietatem (habuit enim Deus etiam in monasterijs confessores veritatis suæ) & in primis commendauit explicationem verborum symboli, Credo remissionem peccatorum ab illo traditam hoc modo, Non satis est, te in genere credere, Deum quibusdam, Dauidi, Petro & alijs sua peccata remittere, (talem enim fidem etiam dæmones habent) sed Dei mandatum imm[illegible]

rum est, vt credas, Tibi tibi tua peccata remitti, & vt certus sis de iustitia tuæ fidei, & salute tua. Hac explicatione eruditus, se Paulum docentem, Nos per fidem coram Deo iustificari, intelligere cepisse testatus est. Huic consolationi suæ fouendæ adiunxit lectionem scriptorum Augustini, præcipuè vero Psalmorum Dauidicorum exegesin, & quæ ipsius de spiritu & litera extant.

1 5 0 8.

In Academiam VVitebergensem, quæ nuper ceperat, vocatus est ad Theologiæ professionem Lutherus, operâ Iohannis Staupicij viri summi, quadraginta cænobiorum Augustinianorum in Misnia & Turingia vicarij, vt nominant, & generalis per Germaniam Inspectoris, qui in Luthero singularia dona, iudicium, studium, pietatem & eruditionem, alioqui rara in istiusmodi hominum claustris, deprehenderat. Is cùm quadriennium Lutherus in monasterio Erfordiæ fuisset, de sententia & voluntate Friderici Sapientis, Electoris Saxoniæ, Patris Patriæ, quem & Carolus Quintus Imperator Sapiens & potens Patris nomine & honore semper dignatus est, & qui suasu Fratris sui Ernesti Episcopi Magdeburgensis nouam VVitebergæ Academiam anno Christi 1 5 0 2. solenni pompa introductam, die decimo octauo Octobris, primo Rectore Martino Polich Mellerstadio Franco, Theologo, Iurisconsulto & Medico (quem lucem mundi eo tempore salutare soliti fuerunt) fundauerat: Is, inquam, Lutherum vocatione improuisa VVitebergam proficisci voluit, vt ibi in cænobio Theologiam profiteretur: qua de re & subito discessu suo ipse ad Iohannem Braun pastorem Isennacensem sic scribit: Tam fuit subitaneus meus abscessus, vt pene meos familiares lateret. Sum itaq; nunc iubente vel permittente DEO VVitebergæ: Quod si statum meum nosse desideras, bene habeo Dei gratia, nisi quod violentum est studium, maximè Philosophiæ, quam ego ab initio libentisimè mutarim Theologia, ea inquam Theologia, quæ nucleum nucis, & medullam tritici & ...tatur.

Non sunt tradenda obliuioni verba Fratris Fleccij, quæ in Academiæ introductione publice pro concione dixerat: Ab hoc albo monte petet totus mundus sapientiam & puritatem doctrinæ: id quod factum esse, Lutheri vita, labor, fidelitas, & successus, siue, vt vno verbo dicam, Lutheri seculum re ipsa ostendit. Cumq; Lutherus VViteбergæ in Ecclesia & Academia, prorsus diuersa forma & methodo, longe discrepante à scholasticorum theologorum entitate, essentialitate, personalitate, quidditate, realitate, vniuersalitate, localitate, & similibus Thomæ, Scoti, Alberti, & aliorum portentis ac labyrinthis, Theologiam publicè profiteretur, & fontes doctrinæ cœlestis aperiret, Mellerstadius Rector, ipsius assiduus auditor, animo præsagiens id, quod tandem factum est, ad alios dicere solitus est, Experiemini, monachum hunc fore Reformatorem Romanæ Ecclesiæ, & doctorum nostrorum magistrum & doctorem summum, quandoquidem Prophetarum & Apostolorum scriptis, & vnici Seruatoris nostri Iesu Christi verbis innititur, quibus nulla Philosophia, sophistica, aut sapientia sine salutis æternæ amissione resistere potest. Quæ Mellerstadij vox congruit cum iudicio Nicolai Vlneri Vicarij Pontificij Coloniensis, viri octogenarij, qui legens scripta Lutheri anno 1520. dixerat, singulis literis omen inesse, hoc modo, Lux Vera Totius Ecclesiæ Romanæ.

L V T E R

1511.

Cum quædam controuersia orta esset, de qua congregationi monachorum, Pontificis consilio & autoritate op[us] es[set] se videretur, Lutherus Romam ablegatus fuit, & Pontif[icem] [o]mnium vidit, Romanæq; Curiæ mores & religionem obseruauit, in primis sacrificorum negligentiam, qui priusquam Lutherus vnam Missam, vt vocant, absolueret, septem celebrarant, dicentes, Passa, passa, id est, festina, & matri filium remitte. Horum aliquos audiuit de consecratione sua narrantes, Panis es, vinum es, panis manebis, vinum manebis. Inde igitur cum indignatione & tristitia VV.

bergam reuerſus, ſequente anno iuſſu Vicarij, Conuentusque totius Doctor Theologiæ creatus eſt, anno ætatis ſuæ viceſimo nono, inuitus, & penè coactus, vt Conuentui Erfordienſi, quod ad Actum ſolennem reuerenter inuitauit, hiſce verbis ſignificauit: Ecce inſtat dies S. Lucæ, qua ex obedientia Patrum mihi celebrabitur aula Cathedralis in Theologia. Omitto meam mei ipſius accuſationem ac inſufficientiam, ne ex humilitate ſuperbiam aut laudem quærere videar. D E V S ſcit, ſcit & conſcientia mea, quàm dignus & quàm gratus ad hoc oſtentum gloriæ & honoris ſim.

Staupicio inſtanti ſeriò, vt quàm primum, & quidem eo ipſo die, quo ante decennium Academia ceperat, Lutherus gradu illo inſigniretur, modeſtè ipſe reſponderat, ſe non modò imparem eſſe & honori & oneri, ſe cùm aduerſa valetudine quotidie conflictari. At ille ridens, Certa, inquit, negocia D E O ſunt in cœlis terris breui expedienda, ad quorum curam opus er niſterio doctorum: idcirco ſiue viuas, ſiue decedas, opera tua opus erit. Huic igitur legitimæ vocationi & ſapientiſsimi Electoris ſumtus neceſſarios ſuppeditantis voluntati, obædit Lutherus, quæ poſtea in multis tentatio bus magnæ conſolationi ipſi fuit, vt fieri neceſſe eſt, quando quis non ſeipſum ex ambitione aut aliorum contemtu, ſine legitima vocatione, ad dignitatem illam aſpirando, arte quadam multis theologaſtris hodie nimis vſitata, obtruſit. Promotionem Lutheri quidam obtrectatores in malam partem interpretati ſunt, & in contemtum Vniuerſitatis Erfordicæ factam eſſe finxerunt, & neſcio cuius periurij Lutherum inſimularunt: qua de re peculiarem Apologiam ad Conuentum Erfordienſem ſcribens, ſeq; de calumnijs purgans, autoritatem præcipientium & requirentium obædientiam, ſimulq; obſeruantiam ſuam erga AcademiamErfordienſem oſtendit. Inter cætera inquit: Sum optimè quietus & pacatus animo erga vos omnes, quantumuis fuerim offenſus. Deus enim indigno mihi ſingulariter

benedicit,

benedicit, vt non habeam cauſam niſi gaudendi, diligendi & benefaciendi, ſimiliter ijs, qui contraria de me meruerunt, ſicut & ego contraria merui ijs, quæ accipio à Domino.

Perrexit autem Lutherus publicæ doctrinæ aſsiduitate, ſacra Biblia, & ex his Pſalterium Dauidis, & epiſtolam Pauli ad Romanos profeſſus, ac ſcholaſtica iſta, incerta & labyrinthorum plena κυβεία repudiata, qua ex Ariſtotele & lacunis Sophiſtarum Theologia doceretur, fontes Biblicos conſuluit, & quæ vera eſſet coram D E O iuſtitia oſtendit. Quid, inquit, non credant, qui Ariſtoteli crediderunt vera eſſe, quæ ipſe calumnioſiſsimus calumniator alijs affingit, & imponit tam abſurda, vt aſinus & lapis non poſsint tacere ad illa? Nihil ita ardet animus, quàm Hiſtriònem illum, qui ·m verè Græca larua Eccleſiam luſit, multis reuelare, ignoiamq; eius cunctis oſtendere, quem niſi caro fuiſſet, Diabolum fuiſſe non puderet aſſerere. Pars crucis meæ axima eſt, quòd videre cogor, Fratrum optima inbonis ſtudijs nata, in iſto cœno vitam agere, & operam perdere: nec ceſſant vniuerſitates, bonos libros cremare & damnare, rurſum malos dictare, imò ſomniare. De uſtitia ſic docuit: Diſce Chriſtum crucifixum, & de teipſo eſperans dicere ei: Tu Domine Ieſu es Iuſticia mea, ego autem ſum peccatum tuum: tu aſſumſiſti meum, & dediſti mihi tuum: aſſumſiſti quod non eras, & dediſti mihi quod non eram. Chriſtus deſcendit de cœlo, vbi habitabat in iuſtis, vt etiam habitaret in peccatoribus. Iſtam charitatem eius rumina, & videbis dulciſsimam conſolationem. Si enim noſtris laboribus & afflictionibus ad conſcientiæ quietem peruenire oportet, vt quid ille mortuus eſt? Igitur non niſi in illo per fiducialem deſperationem tui & operum tuorum, pacem inuenies. Ipſe ſuſcepit te, & peccata tua fecit ſua, & iuſticiam ſuam fecit tuam. Maledictus qui hoc non credit &c. Item: Vniuerſi Decalogi facta quando fiunt extra fidem Chriſti, etiamſi faciunt Fabricios, Regulos, & plane integerrimos viros apud homines, non tamen plus

ſapiunt

ſapiunt iuſticiam, quàm ſorba ficum. Non iuſta agendo iuſti efficimur ſecundum Ariſtotelem, ſed iuſti fiendo operamur iuſta. Prius neceſſe eſt perſonam eſſe mutatam, deinde opera. Prior placet Abel, quàm munera eius &c.

Hæc verba Lutheri, quæ ſumma, & quis ſcopus doctrinæ ipſius fuerit, priusquam publicis controuerſiis implicaretur, oſtendunt. Etſi enim Fratres quidam, & Sophiſtæ, rudes & ſecuri, ſibi non placere Lutheri genus doctrinæ, muſſitando potius, quàm affirmando præ ſe ferrent, tamen veritatis euidentiæ ſe opponere non auſi fuere.

1 5 1 6.

Staupicio abſente in Belgico, & colligente ſanctorum reliquias ad ſtructuram noui templi in arce VVitebergica, Elector Saxoniæ Lutherum interea voluit eſſe τοποτηρήτην Vicarium, & inſpectorem cœnobiorum Auguſtiniani ordinis. Hoc officium magna autoritate obiuit, non idoneos ab officijs remouit, multa multosq; correxit, & auditores, fratres, & diſcipulos ad amorem doctrinæ cœleſtis & diſciplinæ piæ adduxit, ſicut ipſe gloriatur in Epiſtola ad Ioh. Langum Erfordienſem ſcripta, vbi inquit: Theologia noſtra & S. Auguſtinus proſperè procedunt, & regnant in noſtra vniuerſitate Deo operante. Ariſtoteles deſcendit paulatim, inclinatus ad ruinam prope futuram ſempiternam: mirè faſtidiuntur lectiones ſententiariæ: nec eſt, vt quis ſibi auditores ſperare poſſit, niſi Theologiam hanc, id eſt, Biblia aut S. Auguſtinum aliumue [illegible] autoritatis Doctorem velit profiteri.

Hæc de initijs ſubinde emergere incipientis doctrinæ purioris præmittere voluimus. Venimus autem nunc ad epitaſin, cuius cataſtrophe in Auguſtanæ Confeſsionis exhibitionem & ſententiam deſinit.

1 5 1 7.

Incidit in hunc annum mutatio religionis & rituum, elapſis à Conſtantienſi Synodo & martyrio Iohannis Huſsi

rare potuerit. 3. Indulgentiarū gratiam eam ipsam esse, qua homo cum Deo reconcilietur, & non esse aliam. 4. Si quis emat Indulgentias Pontificis, ei non amplius opus esse vlla contritione & pœnitentia. 5. Eo momento, quo nummus sonum edat in ærarium Indulgentiarum coniectus, animam ex purgatorio ereptam in cœlum euehi. 6. Si quis in ipsam etiam Diuam Virginem Mariam Deiparam deliquisset, quantumuis enormiter, vitiumq; ei intulisset, aut in futurum alia peccata perpetranda animo suo constituisset, posse eum absolutionis certæ participem fieri, imò liberum esse ab omni culpa & pœna, si numeret modò, quantum Indulgentiarum dignitas requirat.

Hæc & similia blasphemarum vociferationum portenta Lutherus audiens, nil facit aliud, quàm quòd fratres monet, ne istis nænijs fidem habeant, docens, indulgentias prorsus nihil boni conferre animabus ad sanctitatem & salutem, sed tantummodo pœnam externam, olim Canonicè imponi solitam, mitigare vel auferre, vt verbis Lutheri ad Albertum Archiepiscopum scriptis vtamur, quem ipse inscius eum rapinarum istarum participem esse obsecrat, vt sua autoritate insanos buccinatores Indulgentiarum omnibus operibus pietatis & caritatis impudentissimè prælaturam, compescat.

Tezelius hoc comperto præ insania extra se raptus, fulmina anathematum in Lutherum emittit, Achiepiscopus, ad quem dimidia pars collectæ pecuniæ spectaret, ægrè fert Lutheri Zelum. Doctores & Magistri nostri in Ecclesiis & Academijs multis, præsertim Lipsensi & Franckfordensi ad Oderam in publicis concionibus & lectionibus minantur Luthero ignem intra mensem. Conradus VVimpina Doctor thesibus Lutheri in vigilia omnium sanctorum, quo die encenia cum frequenti populi concursu celebrabantur, publicè propositis, & foribus templi ad arcem VVitebergensem contra indulgentias turpissimis mendacijs uenditatas affixis, opponit nomine Tezelij antitheses, affirmantes, Pontificis potestatem esse omnium summam, Ecclesia ipsa, & Concilijs omnibus superiorem, & tantam, vt Papa pro voluntate sua scripturam sacram interpretari & tractare possit,

posſit, nemine contradicere audente. Has theſes VVitebergam Tezelij iuſſu allatas, qui Lutheri themata publicè combuſſerat, ſtudioſi quidam venditori eripientes, conuocatis publico ſcripto omnibus alijs ſtudioſis ad funus poſitionum Tezelianarum, in foro octingenta exemplaria concremant, inſcijs profeſſoribus, ipſoq; Luthero, qui & improbat factum illud, & ſe extra noxam eſſe conteſtatur.

Inſurgunt ſimul & alij aduerſus Lutherum, Ioh. Eccius Doctor, Procancellarius Ingolſtadienſis, ex amico factus ſubitò inimicus, ſcribens obeliſcos Poſitionum Lutheri vinolenti, Bohemi, Hæretici, ſeditioſi, procacis, temerarij, dormitantis, inepti, indocti, & contemtoris Papæ Romani (hiſce enim floſculis Lutherum ornat) item, Syluester Prierias Dominicanus, verè ſylueſter, agreſtis, & incultus, & Hogoſtratus ſeu de alta platea, itidem Dominicanus & inquiſitor hæreticæ prauitatis, Hieronymus Dungersheim Ochſenfurtius Doctor Lipſenſis, aliiq; ſcholaſtici Theologi, de quibus ob nimias eorum ineptias ipſe ita ſcribit: Prope eſt vt iurem, nullum eſſe Theologum ſcholaſticum, qui vnum capitulum Euangelij vel Bibliorum intelligat, præſertim Lipſenſem, imò ne Philoſophi Ariſtotelis vnum capitulum: quod cum gloria ſpero me probaturum, ſi examinandi daretur facultas. Laruæ ſunt & facies, tumentes fragore titulorum &c.

1518.

11. 8. Decemb. Lutherus de ſententia Electoris Saxoniæ ad Palatinum Electorem Heidelbergam pedeſter proficiſcitur, & in itinere ab Epiſcopo VVurceburgico excipitur clementer, ac Heidelbergæ à VVolfgango Principe Palatino tractatur liberaliter: vbi ad publicam diſputationem admiſſus, ea quæ VVitebergæ indulgentiarum negociationi oppoſuerat, repetit, cogitabundis & mirabundis Doctoribus cæteris. Redit autem curru vectus VVitebergam ſabbato poſt Aſcenſionis Dominicæ. Scribit mox ad Hieronymum Epiſcopum Brandenburgenſem, ordinarium, offerens ei Reſolutiones ſuæ de Indulgentiis

..tiis disputationis, & subijciens iudicio ipsius. Oppo..
..at veram de pœnitentia doctrinam Indulgentiis Pontificiis,
petitq; transmitti & commendari resolutiones Romano
Pontifici, intercessione Electoris, à quo per Spalatinum simul petit impetrari à Cæsare, vt committatur causa sua dijudicanda non Italico, sed Germanico solo, præcipuè tot vndequaque nimis quotidie magno cum impetu amicorum & hostium aduolitantibus, de quibus hæc verba omni memoria digna commemorare libet: Minacibus illis meis amicis nihil habeo, quod respondeam, nisi illud Reuchlinianum: Qui pauper est, nihil timet, nihil potest perdere. Res nec habeo, nec cupio: famam & honorem si habui, assiduè nunc perdit, qui perdit. Vnum superest, imbecille, & assiduis fatigatum incommodis corpusculum: quod si qua vi vel dolo abstulerint (in obsequium Dei) forte vna vel duabus vitæ horis, me pauperiorem facient. Sufficit mihi dulcis Redemtor & Propitiator Dominus meus Iesus Christus: cui cantabo, quamdiu fuero. Si quis autem noluerit cantare mecum, quid ad me? vlulet, si libet, vel secum &c. Mittit etiam Lutherus planè supplices literas ad Leonem Pontificem, offerens & ipsius censuræ easdem Resolutiones suas, & conquerens de auaritia & impudentia quæstorum Indulgentiarum, & concludens epistolam hisce verbis: Beatissime Pater, prostratum me pedibus tuæ beatitudinis offero, cum omnibus, quæ sum & habeo: viuifica, occide, voca, reuoca, approba, reproba, vt placuerit. Vocem tuam, vocem Christi in te præsidentis & loquentis agnoscam. Si mortem merui, mori non recusabo. Domini enim est terra, & plenitudo eius, qui est benedictus in secula.

Leo Pontifex scribit ad Electorem Saxoniæ, & rerum agendarum occasioni intentus Lutherum, proposita pœna, Romam venire & coram Episcopo Asculano & Syluestro Prierate comparere iubet. Academia autem VVitebergensis prætendens inualetudinem Lutheri, petit à Pontifice, vt Lutherus alicubi in Germania audiatur. Metus enim, imò

 res

res certa erat, euenturum Luthero, si Romam iret, id Rudolphus Imperator ex Apologo allegare solitus fuit, video ingredientia vestigia multa, sed egredientia video nulla.

Et cùm Maximilianus I. Imperator Augustæ conuentum indiceret, qui postremus ipsi fuit, quô à Pontifice Cardinalis Thomas Caietanus mittebatur, intercedit Elector sapiens apud Cardinalem, efficitq;, vt consensu Pontificis impetrato Lutherus necessitate Romam proficiscendi solutus, Augustam euocetur, & coram Caietano causam suam agat dicatq;. Scripserat antea Maximilianus ad Leonem de Luthero compescendo, cui tamen benignissima affectione fauebat, vt postea ostendetur. Audiens autem Augustam eum aduenturum, monet Caietanum, ne seuerè cum Luthero agat, nec se austerum, aut ab ipso alienum præbeat: quam admonitionem Caietanus molestè ferens, facturum se esse ea inquit, quæ in mandatis habeat. Lutherus Augustam citatus monetur à Comite Alberto Mansfeldensi de insidijs paratis in itinere, nimirum vel strangulatione, vel in aquis suffocatione. Et Staupicius Saltzburga ad Lutherum scribit, Quid hodie, præter crucem te maneat, non video, paucos habes patronos: veni ad me, vt simul viuamus, moriamurq;. Expedit ita fieri, vt deserti desertum sequamur Christum.

[Luth]erus, ego, inquit, planè sum vir ille rixarum & discordiæ cum Ieremia, qui quotidie nouis, vt vocant, doctrinis irrito Pharisæos. Vt autem mihi conscius sum, me non nisi sincerissimam Theologiam docere, ita iam diu præscius fui, fore, vt sanctissimis Iudæis scandalum, & sapientissimis Græcis stultitiam prædicarem. Sed spero me debitorem esse Iesu Christo, qui & mihi fortè dicit, Ostendam ei, quanta oporteat eum pati propter nomen meum. Si enim id non dicit, cur in officium verbi huius inuictissimi me posuit? aut cur non aliud docuit, quod loquerer? Fuit voluntas sua sancta: quanto magis illi minantur, tanto magis ego confido. Scio verbum Christi ab initio mundi, eius esse genij, vt qui id in mundo voluerit portare, necesse sit cum Apostolis cum relictis renunciatisq; omnibus, omni hora, mortem ex-

pectans

pectare: quod nisi esset, non verbum Christi esset: mo- emtum est, mortibus vulgatum, mortibus seruatum, mortibus quoq; seruandum aut referendum est. Sic enim sponsus noster sponsus sanguinum nobis est. &c.

Hoc animo Lutherus octauo die Octobris pedes Augustam venit, vix tenui viatico instructus, & indutus cucullo sibi accommodato [illegible] V. D. D. Venceslao Lincco Theologo & Ecclesiasta monasterij Eremitarum Noribergensium, quem Lutherus semper fecit maximi, & παραστάτην ac manipularem cum Augustæ, tum in tota vita fidelissimum habuit, cuius etiam recordatio ideo gratissima mihi est, quia is paternâ beneuolentiâ me puerum vt filium complexus est, & patris mei carissimi cum in vita, tum in morte vicinus & amicus fuit, contiguo cum ipso tumulo humatus, cum inscriptione hac:

Autorem vitæ, dum viueret atq; salutis,
Asseruit, docuit, glorificauit, habet.

Extant ipsius scripta vtilissima in Mosen, historicos libros, & in Prophetas omnes. Obijt Norибergæ anno 1 5 4 7.

Cæterum Fridericus Elector Lutherum in monasterium, in quod diuerteret ipse, conferre se iubet, nec inde egredi, donec saluum conductum ab Imperatore accipiat quod vt quam primum fiat, se curaturum promittit. Lutherus eo statim die, quo venit, Legato Pontificio suam præsentiam per D. Venceslaum Linccum, significat. Legatus subornat Oratorem Montisferrati Vrbanum, vt is Luthero significet consulens, ne Legatum prius accedat, quàm priuato colloquio ipse eum de quibusdam agendis instruxisset, spe quasi certa concepta, se persuasurum esse Luthero reuocationem. Multis igitur verbis, & sanissimis, vt locutus fuerat, consilijs cum Luthero agit, vt simpliciter Legato consentiat, ad Ecclesiam redeat, & sua dogmata reuocet, nec rationem dictorum & scriptorum reddat, nec hastiludia faciat (Italica Phrasi vsus) Cui Lutherus: Si potero, inquit, doceri, aliter à me dictum aliquid, quàm sancta Ecclesia Romana sapit,

manu tua Pontificem & Cardinales haberes? quomodo tractaturus eos esses? Respondit Lutherus, se omnem reuerentiam ipsis exhibiturum esse. Orator abiens, & digitum suo more erigens, cum indignatione inquit, Non credo, te tam mitem fore, si penes te res ista esset. Hæc ita dum fiunt, Lutherus ab Imperatore salui conductus literis munitus confert se ad Legatum Cardinalem, & prostratus ante pedes ipsius, dilationem accessus, & salui conductus impetrationem excusat, simulq; omni reuerentia & humilitate petit veniam, si quid forte vel dixisset vel egisset temerè, esseq; se paratissimum doceri & duci in saniorem sententiam. Cardinalis Lutherum surgere iubens, de mandato Pontificis se ei tria facienda proponere ait, primum, vt redeat ad cor, & errores suos reuocet: secundò, vt promittat, in futurum se ab ijsdem abstinere velle: tertiò, vt ab omnibus quoq; alijs abstineat, quibus turbari possit Ecclesia Romana. Lutherus humilime petens sibi nominatim ostendi errores reuocandos, audit, errorem hunc esse manifestum, quod docuisset, Oportet eum, qui ad Sacramentum accedit, credere, se consecuturum esse gratiam Sacramenti. Hanc doctrinam cum sacra scriptura, & recta Ecclesiæ confessione pugnare Caietanus affirmat. Luthero id constanter neganti, & nec hodie, nec in æternum se veritatem mendacij arguere, aut reuocare posse dicenti, Caietanus respondet: Velis nolis, hodie oportebit te reuocare: alioqui vel propter hunc vnum locum omnia tua dicta & scripta damnabo. Adducit idem Extrauagantem, vt vocant, Clementis Sexti de meritis Christi sua passione acquirentis thesaurum indulgentiarum commissum Petro & successoribus eius: volens hoc modo probare, Christi passionem, merita sanctorum, & indulgentias Pontificias, vnius esse valoris, virtutis, dignitatis, causæ & efficaciæ. Lutherus autem explicando verba Extrauagantis, ostendit, quæ sit vera doctrina de Christi merito, de clauium potestate, de vera fide, de indulgentiarum figmento, de Pontificis potestate & autoritate subiecta scripturæ & Concilijs, de procliui lapsu

etiam Pontificum & ſanctorum, & de abuſu ſcripturæ ſæpe ab ipſis in alienum ſenſum detortæ. His Lutheri dictis Caietanus irritatus, Pontificis poteſtatem ſcripturis & Concilijs præfert, à quo nuper & Concilium Baſilienſe abrogatum eſſe ait, etiam reclamante Vniuerſitate Pariſienſi, mox pœnas datura ſuæ contradictionis. Lutherum denuò iubet aut reuocare, aut vim pati. Is, videns Legatum excandeſcentem, & loco Pontificis ſedentem, velle ratum eſſe, quidquid dicat, ſeq;, quidquid opponat, exibilari, explodi, & derideri, præſertim, ſi ſacras alleget literas, petit diem ſibi concedi ad deliberandum, & veniâ impetrata abit.

Poſtridie rediens ad Legatum Lutherus, adducit ſecum D. Staupicium, qui primum aduenerat, & præſentibus quatuor Cæſareæ Maieſtatis Conſiliarijs, Decano Tridentino, Doctore Peutingero, Philippo à Feilitſch equite aurato, & alijs inſignibus viris, incipit coram Notario & teſtibus proteſtari, ſe nihil dicturum eſſe ſanctæ Eccleſiæ Romanæ aduerſum, & ſubijcere omnia ſua dicta & ſcripta ſummo Pontifici, & quatuor Vniuerſitatum, Baſilienſis, Friburgenſis, Louanienſis & Pariſienſis iudicijs. Legatus ridens Lutheri conſilium, denuò iubet eum redire ad cor, quaſi iam declaratum apoſtatam hæreticum, & ex Eccleſia relegatum. Durum, inquit, tibi erit contra ſtimulum calcitrare. Lutherus, cùm nihil agi poſsit verbis, ſcriptis ſe audiri petit: Se enim verbis priori die ſatis ſuperq; digladiatum eſſe: Hac voce Legatus offenſus, non digladiatus ſum, exclamat, nec volo tecum vel diſputare, vel digladiari, ſed monui te paternè & benignè, ſcilicet; vt reuocares. Sedat iracundiam Legati Staupicius, & obtinet rogando audiri Lutherum in ſcripto, quod tertio die oblatum Legatus legens, fatuum, & inane nominat, & profus abijcit, addens hæc verba, Aut reuoces, aut in conſpectum meum non reuertaris, Amen reſpondet Lutherus. Aliud autem nihil ſcripto iſto Lutherus comprehenderat, quàm reſponſionem ad duas Caietani obiectiones in Colloquio motas, priorem de Extrauagantis vera ſententia: poſteriorem de

fide iustificante. Et cùm scriptum illud primo Tomo Ienensi insertum sit, non opus est illius prolixiore recitatione. Lutherus abire iussus, (quia reuocare non poterat) abit, & accepto mandato non redeundi, manet tamen, num quid porrò secum agendum videatur, expectans. Legatus Staupicium solum blandissimè alloquitur, rogatq;, vt ipse priuatim cum Luthero agat, & Reuocationem ei spontaneam sine vi & coactione offerat, & suadeat. Staupicius Lutherum niti autoritate sacræ scripturæ ostendit, à qua dimoueri nec blandis nec austeris verbis posit. Scribam igitur ipse articulos, inquit Legatus, quos reuocare debet Lutherus, ne prætendat, sibi in specie nihil indicatum esse. Hos articulos dum Lutherus frustra desiderat, protrahi de die in diem negotium videt. Interea Legatus Romam mittit scriptum Lutheri ad Pontificem, & sententiam Curiæ Romanæ de tollendo Luthero requirit, certò sperans, se responsum breui accepturum, antequam Lutherus Augusta dimittatur. Iactat quoq;, se habere mandatum, vt Lutherum & Staupicium in carcerem conijciat. Cum D. Venceslao Lincco nihilominus benignè confert de Luthero, & promittit ei omnem fidem, significans, se Luthero optimè fauere, nec eum numero hæreticorum aut aliorum, qui ab Ecclesia separandi sint, accensere: causam ipsius non adeo malam esse, si tantum doctrinam de Indulgentijs Pontificijs intactam relinquat, & ea quæ opposuisset, reuocet: nam reliqua capita de fide iustificante & alijs quibusdam non esse adeo magni momenti, sed vna atq; altera disputatione posse poni. Venceslaus hæc audiens, & alijs referens, mox monetur, ne amplius Italo fidem habeat, agi omnia insidiosissimè, & expectari singulis momentis rescriptum Pontificis, & mandatum in vincula conijciendi Lutherum & comites eius. Venceslaus igitur & Staupicius à multis magnis Viris, quibus de Legati technis constabat, moniti, Augusta discedunt, relicto vno Luthero. Is Legatum scripto compellat, deprecaturque culpam suæ vehementiæ, si qua sit vsus, & policetur se deinceps nego-

cium indulgentiarum non amplius tractaturum esse, dum modo aduersariorum clamoribus modus imponatur, & ipse ad reuocationem non adigatur, quam praestare per conscientiam nec posit nec velit, sine legitima Ecclesiae Sponsae audientis vocem Sponsi sui, cognitione. Ad haec Legatus planè nihil respondet. Lutherus totum triduum frustra expectans, de consilio amicorum, virorum insignium, abitum & Appellationem suam Cardinali insinuat, nimirum appellans à Cardinale ad Papam, & à Papa malè informato ad melius informandum, atq; ita & ipse eques noctu discedit: quae res Cardinalem maximè offendit, praesertim affixa & publicata appellatione: qui etiam statim ad Electorem Saxoniae scribens, inter caetera sic inquit: Frater Martinus & socij eius, mihi omnino, imò sibi perbelle illuserunt, & me inscio hinc profecti sunt: quod fraudulentum consilium ipsorum non solum admiratus sum, verum etiam prorsus perhorrui, & obstupui: consulat igitur Dominatio vestra honori & conscientiae suae, vel mittendo Fratrem Martinum Romam, vel eijciendo extra terras suas. Romae

III. prosequemur causam, quando ego laui manus meas, & ad

I. Decemb. Sanctissimum Dominum nostrum huiuscemodi fraudes scripsi. Lutherus VVitebergam in vigilia omnium Sanctorum, eo die, quo ante annum lis ceperat, redit laetus & sanus praeter omnium spem, etiam suam ipsius, quemadmodum in epistola ad D. Philippum Melanthonem Augustae scripta testatur, inquiens: Tu age virum sicut & agis, & adolescentes recta doce. ego pro illis & vobis vado immolari, si Deo placet: Malo enim perire, & quod vnum mihi grauissimum est, vestra dulcissima conuersatione carere in aeternum, quàm vt reuocem bene dicta, & studijs optimis perdendis occasio fiam. Apud hos vt insipientissimos, ita acerrimos literarum & studiorum hostes, Italia est in Aegypti tenebras palpabiles proiecta. Adeo ignorant omnes Christum, & ea quae Christi sunt: hos tamen Dominos & Magistros habemus fidei & morum. Sic impletur ira DEI

super

ſuper nos, quæ dicit, Dabo pueros Pri[illegible] effœminati dominabuntur eis.

Elector Saxoniæ ſapiens accuſationem Lutheri á Cardinale inſtitutam, non tantum legendam tradit Luthero, ſed reſponſum exigit. Is lætatur, occaſionem ſibi datam eſſe exponendæ actionis totius, & ſine omni ſophiſtica integram hiſtoriam actorum exponit, eo propemodum modo, quo breuibus iam recitata eſt. Feci omnia, inquit, & nihil me omiſiſſe video, niſi ſex iſtas literas, R E V O C O. Damnent, doceant, interpretentur vel Reuerendiſsimus Legatus, vel ipſe ſummus Pontifex: non autem dicant ſolum, Erraſti, malè dixiſti: ſed in ſcriptis ſignent errorem: probent maledictum: rationem, quam habent, reddant: diſſoluant ſcripturas á me adductas: doceant, ſicut iactant verbis ſeſe feciſſe: inſtruant doceri cupientem, petentem, volentem, expectantem: quæ nec Turcus homo mihi negaret. Vbi videro aliter intelligenda, quam intellexi, ſi tunc non reuocauero, & me ipſum non damnauero, Illuſtriſsime Princeps, tua Celſitudo ſit prima, quæ perſequatur me, expellat me: obruant me viri Academiæ noſtræ: deniq; cœlum & te[illegible] contra me inuoco[illegible] perdatq; me ipſe Dominus meus I E S V S Chriſtus. Loquor ex certa ſcientia, & non ex opinionibus. Nolo mihi Dominum D[illegible], [illegible] ullam [illegible]turam Dei mihi fore [illegible]pitian[illegible] edoctus meliora [illegible]cutus non fuero. Item, [illegible] res eſt, quod erraſſe arguor, & obtinere non poſſum [illegible] nec per tantum Principem, in cubus & quare [illegible]putent. Habent papyrum & cala[illegible]os, & atramentu[illegible] Romæ, habent infinitos Notarios: facile erit in papirum ſignare, in quibus & quare errauerim.

Cumq; Lutherus Electoris patrocinio ſuam cauſam ſuſcipi & defendi vellet, nec Electorem in Pontificis inuidiam vocare vellet, ſimul in eadem illa Epiſtola valedicit Celſitudini ipſius, inquiens: Ne Illuſtriſsimæ Tuæ Dominationi quicquam meo nomine mali, quod minimè omnium velim, accidat, ecce regiones tuas relinquo, iturus, quò Deus miſericors voluerit, & eius diuinæ voluntati me in omnem

 permiſſu-

-um. N[illegible]il enim minus sequor, quàm vt quicquam mortalium mea causa, nedum Illustrissima Dominatio tua, in inuidiam, vel periculum aliquod adducatur. Quam ob rem Illustrissimam tuam Dominationem reuerenter saluto, eiq; simpliciter valedico, gratias immortales pro omnibus beneficijs erga me agens, &c.

Elector solicitus de Luthero, confert cum ipso per Spalatinum de loci mutatione. Et quia Lutherus in Galliam iter se suscepturum esse ostenderat, Elector hoc consilium dissuadet. Lutherus de loco, quò se conferat, incertus, scribit ad Staupicium, & ei valedicens inter reliqua inquit: Vale mi suauissime Pater, & solum animam meam Christo commen-
" da. Video eos firmasse propositum in exinaniendi me:
" rursus firmat Christus propositum noncedendi in me. Fiat
" fiat voluntas eius sancta & benedicta.

Ad Spalatinum scribens, deplorat Caietani & reliquo-
" rum Theologorum extremam inscitiam. Exulat Christus, inquit, lux vera hominum, & regnat Aristoteles, teterrima caligo hominum. Miseret me hominum, qui tamperditè sua tempora triuerunt, & studia perdiderunt, nec aliud, quàm miserrimam ignorantiam didicerunt. Item: Expecto maledictiones ex vrbe Roma quotidie: ideo omnia dispono & ordino, vt [illegible] venerint, paratus & succinctus eam cum Abraham, nesciens quò, imò certissimus quô, quia Deus vbique. Si iero, totum [illegible] fundam, & vitam offeram Christo.

Elector autem iubet [illegible]utherum præsenti esse animo, & VVitebergæ manere, ac res[illegible] [illegible]ano, mirari se dicens, imò molestè ferre, quòd [illegible], quàm promiserit, & ante causæ cognitionem, Lutherum ad Reuocationem adigere voluerit, & quòd additis comminationibus postularit à se, vt eundem vel Romam mitteret, vel suis terris eijceret: quin potius audiendum & conuincendum esse hominem, antequam damnetur.

Acta Colloquij cum Caietano, Lutherus permissu Principis in publicum edit.

Maximilianus Imperator audiens Legati in Luther[illegible]

ve[illegible]

vehementiam & aſtum, Sic, inquit, agunt iſti mali homines, & me quoq; ſuis artibus inuolutum cupierunt, quod ſi feciſſem, contra me etiam tandem conſenſiſſent. Ad Degenartum Pfeffingerum Electoris Conſiliarium virum nobilem ait, ſignificato Electori, ut Monachum illum nobis diligenter cuſtodiat, breui etiam opera eius vtemur (puta, aduerſus artes Romaniſticas, vt vocant, quibus Imperator multipliciter vexabatur.)

Leo Pontifex articulos Lutheri examinandos ſubijcit ſeptem viris, quos Romæ habet doctiſsimos, qui pronunciant veros quidem illos eſſe, ſed ſcandaloſos. Gloſſa, quia tangit pecuniam, vel, vt Eraſmus Roterodamus Friderico Electori reſpondit, tangit coronam Papæ, & ventres Monachorum. Nihilominus autem denuó repetit Leo confirmationem Indulgentiarum venalium, & ſe contra Lutherum Romæ decreturum eſſe, publico ſcripto oſtendit, quod Caietanus omnibus totius Germaniæ Epiſcopis legendum & ſine mora publicè affigendum mittit. Lutherus extrema neceſsitate compulſus, nouam Appellationẽ adornat, & à Pontificè, quem antea maximi fecerat, & cuius iudicio ſe & ſua omnia ſubiecerat, prouocat ad Concilium, quod Pontifici, qui etiam falli & errare poſsit, modis omnibus ſit præferendum. Etſi autem hæc appellatio intempeſtiua viſa eſt, & contra Lutheri voluntatem ſparſa & edita, tamen Deo ita dirigente optimè cecidit, & vniuerſæ Eccleſiæ profuit. Hæc de anno decimo octauo. 1 5 1 9.

Huius anni initio Maximilianus Imperator, nimirum duodecimo die Ianuarij, quo ante annos 31. in Regẽ & Imperatorem electus fuerat, auus Caroli Quinti, ætatis ſexageſimo tertio, ſeu nono Heroum climacterico, in oppido Auſtriæ VVechs, moritur, cùm intempeſtiuè pharmacum incertæ efficaciæ contra morbum, quem ſibi imminere putaret, hauſiſſet. Indixerat Imperator Comitia cùm ob alias cauſas, tum vel in primis propter Lutherum, quibus intereſſe ipſe voluerat: ſed morbo ſuperatus, ad cæleſtia Comitia vocatus eſt, vbi Lutheri doctrinam cum omnibus Angelis & beatis in æternum approbat. Paulò

xerunt. Miltitius leoninam exuens, induit pellem vulpinam; & mutat violentiam in beneuolentiam fallacissimè simulatam. Aldenburgi Lutherum ad se vocat, & cum eo agit prolixè, vt in honorem Ecclesiæ Romanæ, cui totum ferme orbem abstraxisset, sua dicta & scripta reuocet: inter loquendum & exhortandum lacrymas effundit (quas Lutherus Crocodili lacrymas esse deprehendit) dicitq;, non fuisse intra centum annos causam vllam, quæ plus negocij fecisset Pontifici & Cardinalibus, eosq; decem millia ducatorum potius profusuros, quàm permissuros hanc rem cepto prosequi. Lutherus respondet, se modum & formam Reuocationis requirere, & causam erroris, quæ eruditis & vulgo satisfaciat, ne reuocatio malæ speciei plus odij concitet aduersus Romam. Tandem conueniunt Miltitius & Lutherus, totam causam quibusdam Episcopis vel vni horum committendam esse, Saltzburgensi, Treuirensi & Freisingensi. Vesperi cœnat Lutherus cum Miltitio, qui & hilarem se præbet, & Luthero osculum figit, consensu hoc facto, vt vtraq; pars, Lutherus & Pontificij, abstineant à scribendo, & Lutherus scripto totum negocium Pontifici exponat, & se eius censuræ & voluntati subijciat. Inter reliqua inquit Miltitius, Putaui Luthere te hominem senem, decrepitum, melancholicum & tumulo vicinum esse, at nunc planè contrarium video: Aegerrimè autem fero, te à Tezelio tam impudenter prouocatum esse. Post hæc Miltitius ad se Tezelium vocat, increpans eius impudens os, quo ignominiæ indelebile stigma inusserit sedi Romanæ, & nonaginta florenos pro menstruo stipendio vnà cum tribus equitibus & curru, liberis & gratuitis expensis habuerit. Tezelius Pontificis animaduersionem seueram metuens, in morbum incidit. Lutherus scriptis ad eum literis consolatur ægrotum, & ad pœnitentiam hortatur, ac bono animo esse iubet. Ad Spalatinum scribit: Doleo Tezelij salutem in eam necessitatem venisse: mallem, si posset, seruari cum honore, præstita emendatione: Ipsius ignominia nihil mihi accrescit, sicut nihil decreuit mihi gloria eius. Non satis possum mirari, tantum lucri ex pauper-

culis hominibus eum ausum fuisse captare, quo vel Episcopus viueret, imò Apostolus, &c. Mœrore autem, & conscientiæ stimulis absumtus Tezelius, præsertim cum audiret processuram esse disputationem Lipsensem, de qua paulo post dicetur, moritur, & in patria sua Pirna, oppido Misniæ, vt supra diximus, eleganti & celebri, Epitaphium in templo consequitur, vbi porco impositus, & retrò equitans, caudam porci, loco freni & habenarum, manu tenens, parieti appictus conspicitur.

Lutherus ad Pontificem scribit denuò, & humilima subiectione recusans quidem reuocationem, promittit tamen silentium, modò aduersarij taceant. Admonitus quoq;, vt sedi Romanæ parcat, respondet, omnia se toleraturum, modò Euangelium sincerum sibi relinquatur. Nunquam fuit (inquit) in animo, vt voluerim desciscere: vocetur sanè & sit Pontifex, Dominus omnium: quid hoc ad me? Dimittant mihi Euangelium sincerum, & omnia alia rapiant: prorsus pilum non mouebo.

Miltitius abiens, & spe sua frustratus (existimarat enim se pro aurea rosa donatum sibi Lutherum Romam deportaturum esse, sicut Dresdæ dixerat, Martinum iam in suis esse manibus) redit ad ingenij sui vanitatem. Rectâ enim se Romam profecturum esse simulans, Treuerim petit, ibiq; desidens scribit Luthero, vocans eum Confluentiam ad colloquium cum Archiepiscopo Treuirensi & Cardinale Caietano. Ridiculum verò Miltitij caput: fatetur se non accepisse mandatum & responsum Pontificis, & vocat Lutherum: vocatq; Ipse, non Archiepiscopus, & quidem ad præsentiam Cardinalis. Tam crassæ naris putat esse Lutherum, vt non vocatus, nisi Miltitij temeritate veniat. His fraudibus impetitus miser Lutherus inquit, Video vbique, vndique, quocunq; modo animam meam quæri: Respondetq; Miltitio, ostendens instare disputationem Lipsensem cum Eccio, cui se subtrahere citra summam ignominiam non possit: ingenue etiam fatetur, se coram Cardinale Caietano nolle amplius suam causam agi: nolo, inquit, eum præsentem, neq;

dignus est: qui me à fide Christiana tentauit Augustæ deturbare, ego eum dubito esse Catholicum Christianum, Atque si ocium fuerit, scribam ad Pontificem & Cardinales, & coarguam eum, si se ipsum non emendarit in omnibus, quibus fœdissimè errat. Doleo legatos sedis Apostolicæ tales esse, qui Christum abolere moliantur. Addit etiam sibi insidias strui, & nuper fuisse VVitebergæ quendam sycophantam multis literis onustum, & suspectum, quòd à Miltitio conductus esset ad occidendum Lutherum: & nisi illa fugâ sibi consuluisset, in Albim saltare ex studiosorum indignatione coactum fuisse: se tamen suspicioni isti restitisse. His lectis tacuit Miltitius, re nec fideliter nec feliciter acta. Vanum & leuem fuisse hominem iactantia eius ostendit, qua Romæ sese affinem Ducum Saxoniæ venditauit, ita vt passim apud Italos, De parente Duco Saxoniæ, id est, de parentela Ducum Saxoniæ, appellaretur. Homo miserandus est, inquit Lutherus noster, ludibrioq; passim habitus, & hîc habendus similiter. Sed omittamus hæc.

Per id tempus Erasmus Roterodamus scribit ad Fridericum Electorem, commendatq; labores & fidem Lutheri, & accusat aduersarios, sophistas & scholasticos, qui se de erratis suis moneri, difficulter ferre possint. In eandem sententiam scribit etiam ipsi Luthero, & vt progrediatur monet, adhibita tantum ciuili quadam moderatione styli, ne Pontifex nimis irritetur, præsertim cum multi autoritate & nomine Pontificis abutantur. Lutherus, etsi antea non pauca in Erasmo desiderauerat, vt, quod iusticiam operum seu legis, seu propriam, in Paulinis epistolis, tantum de ceremonialibus & figuralibus obseruationibus interpretatus esset, & de peccato originali Paulum non planè loqui Rom. 5. scripsisset, & alia nonnulla ita tractasset, quæ eum de gratia Dei in Christo solo quærenda, adhuc valde infirmum & lubricum esse indicarent: tamen amantissimè respondet, seque ei commendatum esse cupit, sperans, Erasmum subinde veram Theologiæ sinceræ rationem perspecturum esse.

De Disputatione Lipsensi.

Ad id tempus Iohannes Eccius Theologorum Pontificiorum ætate ista primarius, homo animosus, vafer & audax, disputatione publica, se cum Carlstadio Archidiacono VVitebergensi de libero arbitrio, de quo Carlstadius scripserat, & theses ediderat, disceptaturum & congressurum esse, sicut Augustæ cum Luthero conuenerat, magnificè policetur. Nominans autem Carlstadium, non hunc, sed Lutherum petit, & annuente post multas deliberationes Principe Georgio Duce Saxoniæ, Lipsiam deligit, vbi se patronos & amicos Lutheromastigas & antea, & semper habere didicerat, sicut ipse Lutherus testatur inquiens: Lipsenses Theologi & ψευδοκήρυκες fortè consumentur inuidia: ita ardent in me. Item, In confessione explorant adolescentes, num Martini opuscula teneant, & confessos malè mulctant: Me proscindunt, præsertim ille taurus, bos & asinus, non qui cognouerunt Dominum suum, sed qui paleas comedunt, & populum Lipsiæ inclamant, ne nouis hæreticis adhæreant; Theologistæ neq; candidi, neq; recti &c.

Ochsenfurtius. Emserus. &c.

Princeps autem Georgius non prius annuit in disputationis locum & tempus, quam vbi per Lutherum certior fiat, Eccium cum Luthero congressurum esse.

Eccius peculiari obliquitate suæ iam diu in Lutherum conceptæ maleuolentiæ satisfacturus, in eum & scripta eius irruit, alium nominans concertatorem, alium autem inuadens tractatorem. De hoc sycophantico conatu queritur Lutherus. Erit, inquit, forsan Eccius occasio, vt faciam, quæ diu cogitaui, Christo propitio, id est, vt aliquando libro serio in Romanas lernas inuehar: Huc vsq; enim & lusi & iocatus sum in rem Romanam, quanquam mire doleant, vt de intolerabili serio.

Lutherus autem cum Carlstadio veniens, adducit secum Philippum Melanthonem, nuper anno præcedente, à Reuchlino commendatum Electori, & VVitebergam vocatum.

Quarto Iulij Eccius disputationem incoat de libero arbitrio contra Carlſtadium, præſente principe Georgio. Deinde contra Lutherũ de primatu Pontificis Romani: Poſtea de Pœnitentia, Purgatorio, Indulgentijs, & poteſtate abluendi. Durat diſputatio tres ſeptimanas, & Eccium plavolubilem exhibet, pro diuerſo tempore aſſerentem, neitem, aliudq; concedentem in ſchola, & aliud docentem in Eccleſia, & interrogatum, cur ita variaret, reſpondentem, non oportere populum doceri hæc, quæ diſputando certa deprehenduntur.

Scribit Lutherus totam illam diſputationem non de veritate, ſed de laude memoriæ & linguæ ab Eccio fuiſſe agitatam, qui etiam libros ferre, & ex his teſtimonia produci noluerit, prætendens, ſe etiam ſine exemplaribus bene potum diſputare & vincere poſſe. Huic Thraſoni Lipſenſes, inquit Lutherus, adulati ſunt, ſicut muli mutuò ſe ſcabunt, & nos neq; ſalutarunt, neq; viſitarunt, ſed velut hoſtes inuiſiſsimos habuerunt, exceptis Doctore Stromero Aurbacchio, Viro rectiſsimi iudicij, & D. Piſtorio. Cæteri nos ex alto deſpexerunt, & conuitijs, cachinnis & mendacijs pro more proſciderunt.

Finita diſputatione Eccius vnà cum Lipſenſibus hypocritis gloriatur ſe viciſſe, & ad Pontificem ſcribit, ſuccubuiſſe Lutherum, & iam proſtratum iacere. Lutherus ad ipſum Eccium epiſtolam mittit, & planè contrarium oſtendit, & ex fraude & mendacio compoſitum impoſtorem pronunciat: & edit acta totius diſputationis, ex quibus Pontifex & omnes alij veritatem cognoſcere poſsint. Lipſenſes, Rector, Rubius, Ochſenfurtius, Murnarus, Emſerus Aegoceros, & ſimiles, iactant ſe pro dignitate ſuperbum iſtum monachum tractaturos eſſe, & ineptijs ſuis ſe ipſos ludibrio exponunt, ita vt viri candidi & ſapientes, in quorum numero fuerunt D. Breitenbach Ordinarius, & D. Henricus à Schleinitz, apophthegmate ſe oblectarent, Si quis Theologorum illorum aliquem videret, eum ſeptem peccata mortalia videre, ventrem, marſupium, Pompam, inuidiam, iram, libidinem,

& scediam. Fratres etiam inter[illegible]censes articulos edunt in Lutherum, autore Eccio: quibus Lutherus respondet defendens suam disputationem. Episcopus Brandeburgensis ab Eccio inflatus, se ait non reclinaturum caput suauiter, priusquam Martinum in ignem proiecerit, sicut titionem istum, quem ista dicens simul in ignem coniecit. Ochsenfurtius Eccium imitatur, & Lutherum nominat Bohemum, Bohemis parentibus ex hæretico & illegitimo concubitu natum. Hoc putidum mendacium etiam ad aulas Principum defertur, vnde Lutherus aduersarios istos planè contemnit, nec responso dignos iudicat, inquiens, Miror esse tam rudes & indoctos homines Misniæ & Lipsiæ, qui præ mera inuidia etiam communem sensum sibi passi sunt auferri. Eccius minas euomens aduersus Lutherum, Philippũ, & ipsum Electorem, tandem Romam proficiscitur, contra Lutherum bullas impetratum: quo comperto Lutherus ad D. Langum scribit, Eccius Romam vadit succensurus saltum Libani: Credo autem Romam etiam Christo subiectam esse omnium Domino: qui, si dignus sum, pro me illic faciet: sin indignus, nec hîc facere pro me velim. Edunt & Louanienses & Colonienses Theologi, & Catarinus Italus, & quidam Augustinus Alueld Lipsicus stolidas inuectiuas in Lutherum, quibus ille solidè respondet. Quin etiam amicissimi & coniunctissimi incipiunt dubitare de successu laborum Lutheri, inter tot & tanta pericula, fulmina, tonitrua. Ex his sunt Iohan. Langus Erffurdiæ, & Georgius Spalatinus, quos Lutherus erigit & consolatur: Obsecro, inquit, nolite nimium timere, nec humanis cogitationibus totum cor cædere. Scitis, quod nisi Christus me & mea ageret, iam dudum perijssem. Tota Roma minata mihi est, se non scientia Iuris, sed Italicis subtilitatibus quas ego intelligo venena, vel mortem insidiarum, me aggressuram esse. Sinite sanè amicos putare me insanire. Res ista finem non accipiet, si ex Deo est, nisi sicut Christum discipuli, & noti, ita me derelinquant omnes amici mei, & sola sit veritas, quæ saluet se dexterâ sua, non mea, non tua, non nostra, non vestra, non vllius

hominis.

hominis. Quid? metuo miser, ne non sim dignus pati & occidi pro tali causa, &c. Sed de his tota historia Lutheri nos edocet, Etsi enim multi fuerunt, qui causæ ipsius fauerunt optimè, idemq; cum ipso senserunt, docuerunt, & scripserunt, tamen imminente periculo & furentibus portis inferorum, recesserunt, languerunt, & vim & insidias metuerunt, nemine propemodum excepto: ipso solo & vno relicto, per quem & solum & vnum Deus res suas hoc vltimo mundi seculo, solus absq; aliorum ministerio perficere voluit, & perfecit.

296

1520. 1111. 15. Decemb.

Carolo Austriaco, potentißimo & sapientißimo Hispaniarum Rege, in Imperatorem Romanum, autoritate & efficacia diuina Friderici Electoris Saxoniæ, electo, & à Pontificijs statim aduersus Lutherum concitato, Lutherus de consilio optimatum, scribit decimo quinto Ianuarij ad nouum hunc, & optimæ spei Imperatorem, causas ostendens: cur supplex ad ipsius Maiestatem confugiat, & petens exemplo Athanasij suam causam ab ipsius Maiestate cognosci, nec veritatem inauditam condemnari. Inuitus, inquit, in publicum veni: nec nisi aliorum vi & insidijs prodiens scripsi, quidquid scripsi: nihil vnquam ardentioribus votis expetens, quàm vt in angulo meo laterem: sed teste conscientia mea & optimorum virorum iudicio, non nisi Euangelicam veritatē studui euulgare aduersus superstitiosas humanæ traditionis opiniones: propter quam tertius iam finitur fermè annus, ex quo patior sine fine iras, contumelias, pericula, & quidquid aduersarij possunt excogitare mali, frustra interim veniam peto: frustra silentium offero: frustra pacis conditiones propono: frustra erudiri meliora postulo: vnum est, quod in me paratur, tantum vt extinguar cum vniuerso Euangelio. Quare serenißimæ Maiestati tuæ, Carole Princeps Regum terræ, suppliciter procumbens supplico, dignetur non me, sed causam ipsam veritatis, ob quā tibi solam datum est gladiū gestare, in vindictam malorū, & laudem bonorum, sub vmbram alarum tuarum suscipere, & me in

illa

rum nobiles equites Franciæ, eiuſdem eſſe animi aduerſus omnes, qui Luthero vim inferre conarentur. Fuerunt ex illis Heroibus præcipui Vlricus Huttenus, Franciſcus à Sickingen, & Syluester à Schaumburg. Et ſcripſit clariſſ. poëta Eobanus Heſſus peculiarem hac de re elegiam ad Huttenum Equitem & poëtam, vbi inter cætera ſic inquit:

Adſere Germanum iuuenis Germane Lutherum,
Te Duce libertas noſtra tuenda fuit.
Libertas ſtrygibus quæ nunc oppreſſa Papiſtis,
Heu nimium longo ſeruit in exilio.
Ipſe etiam inuictis aderit Franciſcus in armis,
Per quem Siggingà eſt nobilitata domus, &c.

Hæc dum mirificè agitantur, Coloniæ menſe Nouembri Comitia celebrantur, vbi Electores & Principes multi apud Fridericum Electorem ſeriò inſtant de Luthero in vincula conijciendo, & libris eius concremandis. Ad hanc rem conficiendam, iuſſu & nomine Pontificis, agunt cum Electore duo Legati, Martinus Coracciolus, & Hieronymus Aleander Iudæus eruditus in Italia natus, & requirunt executionem Bullæ aduerſus Lutherum, artibus Eccij impetratæ, vt dictum eſt ſupra. Elector reſpondet, ſe Lutherum non conuictum erroris, iſta violentia adoriri non poſſe.

Legati ipſum Imperatorem alloquuntur, qui tandem ſe conſilium & ſententiam dilecti Patris ſui, nempe, Friderici Electoris auditurum eſſe reſpondet. Iidem Legati agunt cum Eraſmo Roterodamo, & promittunt ei Epiſcopatum, ſi pro autoritate Pontificis aſſerenda calamum in Lutherum Diaboli & inferni filium, & archihæreticum ſtringat: ſed Eraſmus affirmans ſe ex vna pagella Lutheri plus rerum, doctrinæ, certitudinis, animi, & conſolationis percipere, quàm ex toto Thoma, aut ſcholaſticis doctoribus omnibus, & ita niti dogmata Lutheri teſtimonijs ſacroſanctæ ſcripturæ, vt quid contra afferre poſsit, prorſus neſciat, diſertè recuſat petitionem. Scripſerat Eraſmus etiam antea ad Car-

dinalem Moguntinum, valde solicitus de Luthero, & egregiè eum tutatus, ita tamen vt nihil minus quàm tutari eum videretur, sicut solitus fuit pro dexteritate sua, vt ipsius Lutheri verbis vtamur. Accersit etiam Elector in illo conuentu ad se Erasmum, petens ab eo, vt liberè dicat, num Lutherus erret. Erasmus planè fatetur, eum non errare, desiderari autem in ipso lenitatem aliquam ciuilem. Cur ergo, inquit Elector, mi Erasme, oderunt & persequuntur omnes tam docti quàm indocti miserum illum monachum meum? quid peccauit? Cui Erasmus. Duo, inquit, maxima & irremissibilia peccata commisit, quorum prius est, quod tetigit coronam Papæ, posterius, quod ventres monachorum tetigit. Scripsit quoq; Henricus Sutphanius sanctus apud Ditmarsos Martyr, Margaretham Maximiliani filiam, Belgarum Gubernatricem ad Sophistas Louanienses vehementissimè Lutherum accusantes & deformantes, vt perturbatorem totius Christianæ Ecclesiæ, dixisse, Cùm sit, vt dicitis, ille monachus planè rudis, indoctus, insulsus, cur vos tam docti & tam multi non potestis tam indoctum, & quidem vnum monachum, veritatis professione compescere? certè maior fides habebitur multis doctis vera dicentibus, quàm vni indocto, qui toto cœlo errat. Sed ad Legatos Pontificios oratio redeat. Hi cum nec apud Imperatorem, nec apud Saxoniæ Electorem, nec apud Erasmum quidquam proficerent, quod è re Romana videretur, & Aleander diceret, Lutherum etiam pecunia non posse emolliri, & hanc bestiam non spectare largitiones & honores, alioqui dudum multa millia ei de Pontificis voluntate per Fuggeros numeranda fuisse, indignatione exardescentes, Lutheri libros colligunt, & pro autoritate Pontificia, numeratâ Quæstoribus & Præfectis pecunia, sine Imperatoris consensu, publicè exurunt. Idem & Louanienses faciunt.

Memorabilis est absurditas, quam Aleander in responsione ad Electorem commiserat, inquiens: Sicut non decet subditos Electoris deligere alium peregrinum Principem in

causa sua dijudicanda, sed oportet in solius Electoris cognitione & iudicio acquiescere, ita non decet alium iudicem de religione haberi & eligi, præter vnum Pontificem.

Circa idem tempus multæ insidiæ struuntur vitæ Lutheri. Inter cæteros quidam, qui se Imperatoris Cancellarium esse gloriatur, Lutherum VViterbergæ peramanter compellat, & cum solus cum ipso esset, Miror, inquit, cur manum vnicuique ad te accedenti porrigas, ego certè solus iam tecum sum, quid si quis te globo, aut gladio aut alio modo interficiat? Hoc si tu, ait Lutherus, faceres, iure talionis tibi vt homicidæ moriendum esset. Ille rursum, Certè si facerem, quod facilimè possem, Pontifex me in Diuorum numerum referret, tibi verò vt hæretico id euenisse, quod meruisti, pronunciaret, teq; damnatorum numero aggregaret. Lutherus alta voce vocat ministrum. Ille statim abiens discedit VViteberga. Rursum monetur Lutherus, vt sibi caueat, conductum enim pecuniæ summa grandi, & instructum esse quendam ex Polonia VVitebergam missum, qui Lutherum veneno tollat, eumq; esse mathematicum & medicum excellentem, carum & gratum eruditissimis quibusque. Fuit is VVitebergæ in autoritate non vulgari, & insinuauit se in præcipuorum amicitiam familiarissimam, & voluit cum Luthero quoq; familiariter conuersari, à quo dimissus & repulsam passus, clam statim aufugit.

Videt Lutherus, se vndequaque peti, & irritasse vni-
...rsum Pontificium orbem, præsertim literis suis ad Leo-
... scriptis, quibus Pontifici se purgarat, quod non in eius
...am, sed in impias doctrinas & Doctores, tum in Cu-
...manam quouis genere vitiorum & impietate perdi-
... inuectus sit. Sedem tuam, inquit, non potes
...ruptiorem esse quauis Babylone & Sodoma, &
...oratæ, desperatæ, & conclamatæ impietatis; cui
...n spiritus fidei in me vixerit. Tu Leo in medio
scorpiones habitas. Nullis crede, qui te ex-
...e humiliant: Hoc enim est iudicium Dei,
...a sede, & exaltare humiles. Vide quàm

 dispar

dispar sit Christus tuis successoribus, cum tamen omnes velint eius esse Vicarij, & metuo, ne sint. Vicarius enim est absentis Principis. Quòd si Pontifex absente Christo regnat, quid est illa Ecclesia, nisi multitudo sine Christo? Quid verò talis Vicarius, nisi Antichristus & idolum est? Quanto rectiùs Apostoli, qui seruos Christi se appellant præsentis, non Vicarios absentis, &c.

Paulò post edit Lutherus in publicum Appellationem & protestationem, qua ostendit, se de solius Euangelij veritate asserenda solicitum esse & agere, & nihil aliud quærere, quàm Dei gloriam, & salutem hominum: se propterea esse in odio & discrimine vitæ: sed monere pios omnes, vt si quem norint errorem in scriptis suis, eum indicent, & non prius innocentem condemnent, quàm condemnationis causam habeant: suæ etiam vehementiæ in re Dei gloriam concernente ignoscant.

Ad Spalatinum scribit: Tu ex gladio non facies plumam, nec ex bello pacem: Verbum Dei gladius, bellum, ruina, scandalum, perditio & venenum impijs est: sicut vrsus in via, & leæna in sylua, sic occurrit filijs Ephraim. Et ad Staupicium: Inueniar sanè superbus, antipapa, & omnium vitiorum reus; modo IMPII SILENTII non arguar, dum Dominus patitur & dicit, Perijt fuga à me, & non est qui requirat animam meam, & considerabam ad dextram, & non erat, qui cognosceret me. Spero in mea Confessione me absoluendum ab omnibus peccatis meis qui cornua eo erexi in idolum Romanum, & verum christum cum fiducia. Non est verbum pacis, sed v gladij, verbum Christi.

De bulla allata ab Eccio, ad Spalatinum scr Iam istam contemno, & inuado iam vt impiam cem, omnibusque modis Eccianam. Vides i Christum ipsum: deinde nihil afferri causæ: ta cari non ad audientiam, sed ad palinodiam: v nos esse furore, cæcitate, & amentia, qui cogitent. Gaudeo toto corde mihi pr

mala: neq; dignus sum tam sancta vexatione. Iam multo liberior sum, certus tandem factus, Papam esse Antichristum, & Satanæ sedem manifeste inuentam: tantum seruet Deus suos, ne seducantur eius impijssima specie.

Antibullam opponit Lutherus bullæ Eccianæ: nec vult niti vllo præsidio humano. Non est, inquit, mi Spalatine, Principum, & istius seculi Pontificum, tueri verbum Dei: nec ea gratia vllorum peto præsidium: cùm potius oporteat eos assistere sibi aduersus Dominum, & aduersus Christum eius. Quod ago, ideo potius ago, vt ipsi suo in me officio verbum Dei demereantur, & salui fiant per illud. Horum autem me miseret, qui audierunt & cognouerunt. Nam ij non possunt sine pernicie æterna ipsum negare, deserere, & dissimulare; inter quos ne multi amicorum nobiscum inueniantur, timendum est, & pro spiritu fortitudinis orandum. Arduum est ab omnibus Pontificibus & Principibus dissentire: sed alia euadendi inferni & iræ Dei non est reliqua via. Antibullam mitto. Præ mera indignitate rei breuis esse coactus sum. Ita me Satanica ista bulla excruciat, penéq; in totum obticuissem. Quis enim Satan tam impudenter ab initio mundi locutus est in Deum? sed quid dicam? vincit me magnitudo horrendissimarum blasphemiarum istius bullæ; & id nemo obseruat.

Academia Erfurdiensis requisita ab Eccio, non admittit Bullam. Studiosi Eccium obsident, & bullas excusas frustillatim concisas in Hieram fluuium proijciunt; atq; ita fit verè bulla. Idem Eccio accidit Lipsiæ, quam non ita sibi aptam reperit, vt priori anno reliquerat.

Erant quidem Lipsiæ aduersarij multi, & asinus Aluelbdensis primas tenebat cum Ochsenfurtio, qui Luthero se opponerent, & accedebant furiæ Emseri: sed tales illi omnes erant, qui per famulum Lutheri confundebantur. Et iocus Eobani innotuerat:

Dic scabiose caper, dic quid sis, hircus, an hædus?
Sed si nec caper es, dic capra, dic scabies. Et:

Vt rumpare miser, nihil hic Emsere nocebis,
Luthero hoc ipso gloria maior erit.
Cornibus ingentes tandem sternemus onagros,
Sordida monstra, hircos, agocerotas, apros.

Cæterum de exustis libris suis scribit Lutherus ad Spalatinum: Damnent, inquiens, exurantq; mea: ego vicissim, nisi ignem habere nequeam, damnabo, publiceq; concremabo ius Pontificium totum, id est, lernam illam hæresium. Samsonio igitur spiritu donatus, decimo Decembris, hora nona, conuocato scholastico cœtu, & magna hominum doctorum comitante turba, Lutherus VVitebergæ ad Orientalem portam Elistræ, omnes libros Pontificij Iuris, Decretum, Decretales, Sext. Clementis Extrauagantes, Bullam Leonis Decimi, summam Angelicam, Chrysoprassum & libros Eccij, & Emseri, aliaq; per alios adiecta, publicè comburit, additis hisce verbis ad Ius Canonicum: Cum tu impie liber sanctum Domini conturbaueris, conturbet, contristet, deuoret, & absumat te ignis æternus. Sicut fecerunt mihi, sic feci eis, inquit Samson. Videant hic incendiarij Papistæ, non esse magnarum virium libros exurere, quos confutare non possunt, ait Lutherus. Peperit hic conatus rancorem, exacerbationes, & disputationes varias, & etiam in aulis Principum, & scholis Canonistarum indignationes acerbissimas. Lutherus autem sui facti rationem reddit, se iuramento præstito in Baptismo & renuntiatione Doctoratus publica, ac ratione officij & conscientiæ suæ adigi ad tollendum id, quantum posit, quod Veritati & gloriæ Christi aduersetur: esse autem in decretis Pontificijs manifestas blasphemias, & contumelias in Deum, quales sunt, Quod Pontifex omnia iura in scrinio pectoris sui habeat, & etiamsi innumerabiles populos catervatim secum ad inferos, præcipites trahat, nihil tamen hoc ipso reprehendendum ab vllo mortalium esse, nec eum vlli autoritati Euangelicæ subiectum esse, &c: Vt autem multi heroico hoc facto Lutheri fuerunt offensi, ita plures boni illo recreati sun

statur læta Ode Saxonicis Ecclesijs pasſim nota, & vſitata: Viue, viue mi Luthere, Cuncti dicunt tibi χαῖρε, veritatis columen: Læti eſtis Lutherani: nam vos eſtis Chriſtiani, Antichriſtum temnite. Nobis illuceſcit lumen, quod ab alto dedit Numen: Fugite ſcholaſticos. Libertatem Chriſtianam, non exiſtimantes vanam, fortiter defendite. Nil nocebit bulla minax, Veritatem timet vorax Satanæ inuentio, &c: Et: Veniarum nundinator, fidei depopulator, Reſipiſce Pontifex, &c: Iam primatus ille ruit, quem doloſè nobis ſtruit Phocæ Bonifacius. Ius combuſtum nos non vrit, quanquam Canoniſta furit, fœdum virus euomens. Nomen veſtri iam patroni ſcire vultis Curtiſani, Danielem legite, &c.

Sed ad rem. Spalatinus ex aulicis varia audiens, Lutherum præmonet primum de periculo, & ſilentium ei conſulit: deinde interrogat, ſi Cæſari ſiſtendus ſit, quod tandem futurum exiſtimet, quid facturum ſe eſſe cenſeat. Ad vtrumque Lutherus reſpondet his verbis: Quid amplius faciam rogo? Si non permittor ab officio docendi & miniſterio verbi liber eſſe, certè liber ero in miniſterio fungendo. Sat multis peccatis ſum onuſtus, non addam etiam hoc irremiſſibile, vt in miniſterium poſitus, miniſterio deſim, & reus inueniar impij SILENTII, neglectæ veritatis, & tot millium animarum. Illuſtriſſ. Princeps ſe prorſus alienum gerat à mea cauſa, ſicut huc vſque geſsit. Paratus ero quieſcere, modò veritatem Euangelicam non iubeant quieſcere, ſed ſalutis viam Chriſtianis permittant eſſe liberam. Hoc vnum peto, & præterea nihil: non peto galerum, non aurum, non quidquid Roma hodie in precio habet, non etiam timeo minas, nec ſuſcipio pollicitationes, &c.

Si ad Cæſarem vocatus fuero, quantum per me ſtabit, vel ægrotus aduehar, ſi ſanus venire non potero. Si vi rem geſſerint, Domino commendanda eſt cauſa. Idem enim viuit & regnat, qui tres pueros in fornace Regis Babylonis ſeruauit. Quod ſi ſeruare nolit, parua res eſt caput meum, ſi ad Chriſtum comparetur, qui ſumma ignominia, & omnium ſcan-

um scandalo, multorumque pernicie occisus est. Nam h nullius discriminis, nullius salutis ratio habenda est: curar ,, dum potius contra, ne Euangelium, quod semel cepimus, ,, in ludibrio impiorum relinquatur, causamq; demus aduersarijs gloriandi aduersum nos, quòd confiteri non audeamus, quæ docuimus, & sanguinem pro eo fundere metuamus: quam nostram ignauiam, & illorum iactantiam Christus misericors auertat. Et si ita fieri oporteat, vt Reges terræ, & Principes conueniant in vnum, & cum gentibus & populis fremant aduersus Dominum & Christum eius: tamen eodem Psalmo docet Spiritus sanctus, beatos fore, qui confidunt in eo. Nec solum hoc, sed & irridebit Dominus & subsannabit illos. Nostrum certè definire non est, ex vita ne, an ex morte mea plus minusue periculi sit oriturum Euangelio, & publicæ saluti, Scis quòd veritas Christi petra scandali sit, posita in ruinam & resurrectionem multorum in Israel.

Nostræ autem nunc curæ id vnicum est officium reliquum, vt oremus Dominum, ne Caroli imperium in meo aut illius sanguine, pro impietate tuenda, primas operas cruentet: mallemq; me, quod sæpius dixi, in solis Romanistarum manibus perire: ne ille cum suis in hanc causam inuolueretur. Scis quæ miseria Sigismundum Imperatorem post occisum Huss consecuta sit, vt nihil deinde prosperum habuerit: sine prole obierit: & filius etiam filiæ postea Ladislaus perierit, & in generatione vna deletum sit nomen eius: vxor verò Barbara infamia Reginarum euaserit. Si tamen ita fieri oportet, vt & ego non modò Pontificibus sed & gentibus tradar, fiat voluntas Domini, Amen. En habes meum consilium & animum, omnia de me præsumas præter fugam & Palinodiam. Fugere ipse nolo: recantare multo minus: ita me confortet Dominus Iesus. Neutrum sine periculo pietatis & multorum salutis facere possem.

Scripserat antea Lutherus non tantum ad Spalatinum Electoris concionatorem & Bibliothecarium, verum ad ipsum Electorem, eximens ei omne consilium humanum de defen-

defensione Lutheri suscipienda. Solius Christi, inquit hæc, causa est, solius est etiam protectio & defensio: tu nimis infirmus es, & impar, nec cupio humana ope & manu defendi. Si humano præsidio niterer, totum negocium abiecissem iam dudum, & statim iam abijcerem. Iacta est alea, autore, duce, assertore, & victore solo Christo, qui te magis per nos, quàm nos per te defendet, &c.

Colonia Romam reuersi Caracciolus & Aleander, donati sunt dignitatum & redituum amplissimis muneribus, Episcopi & postea Cardinales facti. Adeo verum fuit illud Erasmicum, à paupere Luthero multos locupletatos esse.

Libellus plenus consolationum, dictus Tesseradecas, in vsum Friderici Electoris ægrotantis, à Luthero publicatur, & loco quatuordecim numinum auxiliarium, quæ in Papatu finxerunt, Principi offertur, distributus in septem imagines malorum, & septem imagines bonorum.

1 5 2 1. V.

Hoc anno ipse Cæsar Friderici Electoris intercessione Lutherum coràm audire statuit in VVormaciensi conuentu, & data publica fide, missoq; Caduceatore Casparo Sturmio Oppenheimensi, Viro optimo & pientissimo, qui vt filium me complexus est à prima mea pueritia, scribit ad Lutherum, eumq; VVormatiam euocat, qui iter lætus ingreditur. Christus viuit, inquiens, quo duce intrabimus VVormatiam inuitis omnibus portis inferni & potentatibus aëris. In itinere accipit dono à sacerdote quodam Naumburgensij, antiquitatum studioso, effigiem Hieronymi Sauonarolæ. De articulis reuocandis admonitus, respondet, se nihil reuocaturum esse, sed expectaturum sui mactationem, Deum sibi affuturum esse. Erfordiæ excipitur honorificè, vbi rogatus concionem habet. Vnde Eobani versus: 18. Decemb.

Stabit ab asserto Martini gloria Christo,
Seu velit ipse illum viuere, siue mori.
Hic docuit primus, post tot iam secula, quæ nam
Prima sit æthereas quæ via monstret opes.

In media concione trabs pondere pressa graui multitudinis hominum ei incumbentium, gemere cepit: fit fuga, substantes pauor occupat. Nil agis, exclamat Martinus, nil agis istis, Agnosco insidias hostis acerbe tuas. Extentaq; manu nihil est hic ecce pericli, Ille suas artes insidiator agit. Sic intellecto vecors errore resedit impetus, inceptum nec prohibebat opus.

Episcopus VVirtzburgensis, de Bibrach, exhibet Luthero omnem reuerentiam, eumque commendat Electori scriptis literis.

Pontificij cum audirent Lutherum in itinere esse, quem exemplo Iohannis Hussi territum, non compariturum sperauerant, causæ suæ metuentes efficiunt, vt Cæsar Glapeonem Gallum concionatorem suum, & Paulum Armsdorfium cubicularium, ad Franciscum à Sickingen ableget, iubens ab eo Lutherum suscipi in arce Ebernburg ad causam ibi suam dicendam, quò Cæsar missurus sit Viros aliquot eruditos ex ordinibus Imperij delectos, præsertim cùm tot & tanta negotia tractanda sint, vt Lutherus VVormatiæ non posit audiri commodè. Siccingus conditionem accipit, & læto animo ad Lutherum mittit Martinum Bucerum, voluntatem Cæsaris ei significans. Lutherus hoc audito, Verbum Dei, inquit, vim & iniuriam patitur: at ego, quò vocatus sum literis, eò me conferam. Fuerunt autem plærique in ea opinione, subornatam fuisse istam ad Siccingum legationem artibus quorundam Pontificiorum, sine Cæsaris iussu, volentium impedire aduentum sui Eliæ, & prægrauare eundem, quasi sponte & de consilio suo nouisset VVormatiam ingredi, & censuram de se refugisset. Cumq; alij etiam essent, qui bono animo dehortabantur Lutherum, ne aduersarijs confideret, nec VVormatiam veniret, præsertim cùm ab aduersarijs libri ipsius iam condemnati, & in ignem coniecti essent, & multis in locis publicum edictum contra personam & scripta eius, nomine Cæsaris, promulgatum extaret, respondit ipsis inquiens: Hæc est dies, quam fecit Dominus; vocatus venio, vocatus ingrediar in nomi-

Domini nostri Iesu Christi, etiamsi scirem, tot esse cacodæmonas VVormatiæ, quot sunt tegulæ in ædium tectis. Venit ergo VVormatiam XVI. die Aprilis, vbi cùm ingrederetur, accidit: vt Ducis Bauariæ histrio aulicus, Cochlæus, vel iussus ab alijs, vel fatidico quodam spiritu, qui ei tribuebatur, obuiam venerit Luthero, manu gestans crucem funeribus destinatam, & alta voce canens: Aduenisti desiderabilis, quem expectabamus in tenebris. Cæsar comperto Lutheri aduentu, instigatur, vt tollat eum vel igne, vel gladio, nec enim seruandam esse fidem hæretico: respondet autem mitißimus Imperator, iustum esse, vt quod Principes promittunt, impleant, & seruent. Idem Ludouicus Elector Palatinus consulentibus, rescindendam esse fidem publicam, constanter respondet: Nolo, inquiens, consentire in necem eius, cui fides, mea manu, & sigilli impreßione confirmata est, publicoque nomine missa & exhibita. Hanc ob rem Palatinus cum Brandenburgico Electore non satis edocto in difficile certamen incidit, quod, ne cruentum fieret, matura compositione indiguit. Postridie Lutherus nomine Cæsaris & ordinum Imperij, per Vlricum à Pappenheim, vocatur, & coram Cæsare & frequenti Principum concilio comparet. Iohannes Eccius Iurisconsultus Officialis Treuirensis mandatu Cæsaris verba facit, duo hæc proponens, num libros à se scriptos agnoscat pro suis, & an reuocare & retractare illos velit. Adstitit Luthero D. Hieronymus Schurpff Iurisconsultus VVittebergensis. Is exclamat, antequam Lutherus respondeat, intitulentur libri: quo facto, Lutherus actis gratijs, se nisi scripturæ sacræ testimonijs & rationibus euidentibus conuincatur, non posse quicquam eorum, quæ docuisset & scripsisset, reuocare affirmat, cum scriptum sit, Qui me negarit coram hominibus, eundem negabo coram Patre meo cœlesti. Eccius immodestè à Luthero responderi, & non ad rem, ait, & vrget reuocationem. Lutherus negat se contra conscientiam quidquam agere velle, aut reuocare posse, nisi scripturæ

testimoniis conuincatur, & inter reliqua his verbis Germanicè vtitur: Hie bin ich / hie steh ich / ich kan nicht anders / Gott h[elf] mir / Amen. Hic sum, hic sto, non possum aliter, Deus adiuuet me, Amen. Hac voce audita Cæsar inquit, Monachus iste infracto & præsenti animo loquitur. Eccius inter loquendum vsus fuerat primum Latino idiomate, deinde Germanico: sed Lutherus primùm sermone vernaculo in honorem nationis Germanicæ, in qua lux Euangelij denuò illucesceret, & deinde Latino sermone vsus fuit. Luthero egredienti, & multorum hominum caterua circumdato, Ericus senior Dux Brunsvvicensis mittit canthatum argenteum cereuisia Einbeccensi repletum, iubens vt se reficiat. Interrogans Lutherus, quis Principum sui ita recordetur, & audiens donatorem Pontificium, ex eodem cantharo, ne quid sinistri Lutherus suspicetur, præbibentem, ipse quoque bibit, inquiens, sicut mei nunc recordatus est Princeps Ericus, ita Christus recordetur ipsius in vltimo agone. Huius vocis Dux Ericus animam efflaturus recordatus est, & à puero astante nobili Francisco à Kramm petijt, consolatione Euangelica se recreari. Cæterum dimisso Luthero Cæsar iuuenis impulsus à Pontificijs postera luce scribit ad Senatum Imperij manu propria sermone Burgundico, se posthac Lutherum amplius admittere & audire nolle, quidquid etiam allaturus porrò ille sit, datam autem fidem se seruare velle, modò vt quàm primum ex mandati præscripto domum reducatur, & vt ipse à publicis concionibus habendis abstineat, ne ve populo dogmata sua instillare pergat: in posterum se contra eum haud secus atq; contra notorium hæreticum procedere velle ijs rationibus, de quibus in tempore deliberare velit. Hac epistola lecta, Principes varia cogitare & loqui incipiunt, & Luthero, ne res præcipitata periculum creet, responsum nullum dant; sed multi eum alloquuntur & ad viriliter agendum admonent, nec enim metuendos esse eos, qui corpus occidere possint, sed eum esse suspiciendum, qui corpus & animam vno nutu interficere possit. Quidam non sunt veriti optimo animo dicere ad

Lutherum:

Lutherum: Beatus venter, qui te portauit. Hispani verò exibilarunt Lutherum multis modis. Et passim affixæ fuerunt literæ, partim pro Luthero, partim contra ipsum, inter quas inuenta est charta, qua terreretur Lutherus, his verbis conscripta: Damnat te Papa, damnat te Cæsar, damnabit te Fridericus, & sine dubio fidem tibi non seruabit, O dementiam tuam Luthere, antiquos errores reuocare audes, & noui nihil inuenis. Aleander Pontificius Legatus, de quo supra dictum est, tragicum hunc sermonem euomit? Etiamsi Lutherani iam videantur coniuncti, & Germani, qui minimum omnium dependunt æris Pontifici Romano, iugum seruitutis Romanæ excutiant, tamen curabimus, vt mutuis rixis & cædibus absumti, suo cruore pereant. Narrabat & Caspar Sturmius caduceator, Sermones facetos duos: priorem de duobus Iudæis, alterum de Cochlæo. Cum multi ex Principibus, Comitibus & alijs viris præcipuis, desiderio videndi & alloquendi Lutherum, Magnum illum Virum Dei, & Atlanta, humeris suis molem maximarum rerum, & totius ferè Imperij odia sustinentem, in ædes, vbi ille esset, conuenissent, venerunt eò duo quoq; Iudæi, petentes se intromitti, sibi enim narratum esse, in ædibus adesse Virum omnium, qui iam viuerent, Christianissimum simul, & doctissimum, se cupere ab eo in quibusdam, de quibus hæsitarent, erudiri, idcirco se afferre certa munuscula, quibus eum pro sua tenuitate donarent. Sturmius, cui res intromittendi, quos videretur, ab Imperatore commissa erat, concessione Principum & Lutheri iubet eos ingredi. Hi statim vt pro more solitis gestibus, quibus reuerentiam ostendimus, munuscula sua, lagenas videlicet optimo vino repletas obtulissent, & causas suæ accessionis exposuissent, petierunt sibi aliquid, quod dissoluerent, à Luthero proponi. Lutherus, prius, inquit, quàm de alijs rebus colloquamur, volo à vobis sententiam exponi vestram de hac Esaiæ prophetia: Ecce, Alma, Virgo prægnans est. Illi statim, prius quàm, quæ intelligeretur, dicerent, iuuenem mulierem in genere significari affirmarunt. Oppositis à Lu-

chero exemplis & testimonijs de Rebecca virgine & de Mosis sorore sex annos nata; alter iuit in sententiam Lutheri, alter perstitit in sua opinione. Ita iam tacente Luthero, duo Iudæi inter sese diuersis sententijs congressi, penè ad pugnos peruenerunt, & iussu Principum à seruis extrusi sunt. Res in risum versa est. Ad Cochlæum quod attinet, accedit & ipse non vocatus ad Lutherum & quidem ad prandium, prætendens, se dolere vicem Lutheri, & rogare, vt se subijciat iudicio Ordinum, & reuocet, quæ scripserit. Ei, cum Lutherus responderet, nec velle nec posse se reuocare, nisi scripturæ testimonijs conuincatur, quibus solis autoritatem tribuat maiorem omnium creaturarum autoritate, iuxta illud: Si vel Angelus de cœlo aliter docuerit, anathema sit. Et: Hunc audite: Cochlæus petit, vt fidem publicam resignando retractet: Hoc si faciat, se vsq; ad rogum cum eo disputaturum esse, de quocunq; velit argumento. Hunc cruentum animum & dolosum sermonem cum intelligerent conuiuæ, Viri illustres & clari, diris & imprecationibus Cochlæum exire iusserunt. Quinto die pòst Lutherus vocatus ad Episcopum Treuirensem, Ioachimum Electorem Brandeburgicum, Georgium Saxoniæ Ducem, & alios quosdam proceres, cum comparuisset, & per Værum Cancellarium Badensem varia sibi, artificiosa & politica oratione, proponi audijsset, quorum summa erat, vt reuocaret, & publicæ tranquillitati, & suæ ipsius famæ & vitæ consuleret, atq; parceret, Concilia etiam, quasi hæc errarint, & contraria sibijpsis statuerint, non deformaret: Respondit humili animo, gratias se agere pro clementia paterna tantorum principum, & se & sua omnia subijcere ipsorum iudicijs, modò hæc iuxta normam sacræ scripturæ instituantur. Ad Concilia verò quód spectet, se ea non damnare in vniuersum, sed principaliter loqui de Constantiensi concilio, quod non tantum contra ius, fidem & æquitatem omnem ea ratione, quæ Christianis hominibus indigna sit, & infelices euentus habeat, egerit, & Imperatorem optimum, ac Principes seduxerit, Verum etiam expressè articulum fidei damnauerit,

ide-

Videlicet hunc Ecclesiam Catholicam, sanctorum Communioem. His auditis Væus, nomine Principum, instat petendo, vt Lutherus sua scripta cognitioni Cæsaris & Principum subijciat, quod si facere recuset, periculum esse, ne quid aliud cum ipso agatur. Ille se omnem debere magistratui obedientiam vsq; ad aram profitetur, vitam deniq; & sanguinem: sed cum scriptum sit, Deo magis est obædiendum, quàm hominibus, non posse se suam conscientiam aliter saluam & incolumem retinere, quàm si eatenus se & sua scripta cognitioni Cæsareæ Maiestatis, & ordinum Imperij subijciat, quatenus cognitio illa iuxta Verbi diuini testimonia instituatur. Ergo, inquit Brandeburgicus Elector, tu non vis cedere, Luthere, nisi conuincaris sacris literis? Hæc, inquit Lntherus, Elector Clementissime, summa est sententiæ & orationis meæ. Atq; ita discessum fuit. Treuirensis autem adhibitis quibusdam familiaribus cepit priuatim agere cum Luthero, sed frustra. Eadem enim de ijsdem constanter & animosè Lutherus semper repetijt. Postero die significatur Luthero, Cæsarem prorogasse fidem publicam, & adiecisse bidui spacium, vt commodius cum eo de præcipuis rebus disseri posset. Ea in re Treuirensis operam suam nauat fideliter, & solus cum Luthero agit, petens, vt ipse pro suo iudicio indicet, quomodo medendum sit tam graui & periculoso incendio. Lutherus respondet, Gamalielis Consilium, Act. 5. esse omnium optimũ, Si res hæc ex Deo sit, non posse eam conuelli, si verò ex hominibus sit, sua sponte eam corruituram esse, seq; certò scire, intra biennium aut triennium suam doctrinam, si non sit à Deo, collapsuram esse vltrò. Treuirensis rursum inquit, tua scripta futuro concilio si summittas, quid facies, si articuli certi inde excerpantur, & cognitioni subijciantur? Si res scripturæ autoritate agatur, non recuso censuram, inquit Lutherus: si verò articuli illi, qui in Concilio Constantiensi damnati sunt, & propter quos Hussus sanctus Martyr crematus est, proponantur, & dijudicatio de illis fiat, quemadmodum ibi facta est, ego non tacebo. Ad hæc Treuirensis: Vereor,

ne ita

ne ita fiat. Si ita fiet, inquit Lutheru cretis ntiuino-di damnabitis Omnipotentis Dei verbum. Darumb wil ich ehe Leib vnd Leben/stumpff vnd stiel darüber fahren lassen/ denn Gottes klare vnd ware Wort vbergeben. Id est, facilius corpus & vitam & quicquid in me est reliquum, amittam, quàm verum & clarum Verbum Dei deseram. Tunc demum Episcopus, cum nihil proficeret, benignè Lutherum dimittit, & se curaturum ait, vt publica fide domum redeat: Id quod paulò post per Eccium Iurisconsultum Luthero nunciatur, qui, exordio responsi sui sumto à dicto Iob: Sicut Domino placuit, ita factum est, sit nomen Domini benedictum: gratias reuerenter agit Cæsari & Ordinibus, & omnem eis post Deum pollicetur obædientiam. Sequenti die, qui Veneris erat 26. Aprilis, cum integros dies decem VVormatiæ fuisset, valedicens Lutherus Principibus, Comitibus, & alijs, qui frequentes aderant, deducitur rursus per Sturmium caduceatorem VVormatia, Vbi in tanto conuentu totius ferè orbis terrarum non potuit, prô dolor, impetrari, vt consentirent animi procerum in hoc vnum, scripta examinanda & iudicanda esse secundum scripturam, & Concilia approbanda esse, si nihil contra Deum decernant. Tantus fuit metus, tanta existimatio Pontificiæ autoritatis, prælata autoritati sacrarum literarum, siue Verbi Dei omnipotentis, tanta etiam excæcatio. Summa autem hæc Imperatoris laus, sapientia, & pietas fuit, quòd manus suas sanguine innocenti & conspersο & redemto sanguine Filij τοῦ θεανθρώπου, pollui non fuerit passus.

Cum autem octauo Maij, Imperator à sanguinarijs quibusdam impulsus, qui Lutheri cineres in aërem spargi, aut in aquas conijci exoptabant, publicum & graue edictum promulgasset, quo Lutherus proscriberetur, eique omnis defensio, omne ius & receptaculum renunciaretur, simulq; vniuersis & singulis seriò mandaretur, vt Lutherum caperent, Imperatori traderent, libros eius comburerent, & secus facientes similiter proscripti essent, Fridericus Elector

Sapien-

Sapiens, atrocitate hac cognita, occurrendum esse imminenti malo, placidissimoq; Imperatori artibus sanguinem insontem sitientium circumducto, cedendum esse ratus, donec Deus de re ipsa aliter, quam hostes isti fecissent, Imperatorem & alios edoceret, in reditus itinere, dimisso caduceatore, Lutherum intercipi & abduci iussit in locum quidem secretiorem, sed tamen eum, quem ipse ignoraret, vt interrogatus à Cæsare & alijs ordinibus, vbi nam Lutherus viueret & lateret, verè affirmare posset, se ignorare. Negocium credidit duobus nobilibus, Steinburgio & Capitaneo Prelops. Sed antequam hi intercipiant Lutherum, habet is aliquot conciones in itinere, præsertim Hirsfeldiæ, rogatu Abbatis, & Isennaci, quamuis prohibitum esset, ne concionaretur. Ego, inquit, non consensi, vt verbum Dei alligaretur, & fides data non est læsa, aut soluta, quia in mea potestate non erat ea conditio, vt verbum Dei ligaretur, nec pepigi in eam, & si pepigissem, contra Deum pepigissem, & fides seruanda non fuisset. Isennaco abiens, & in curru Amsdorfium secum habens, prope arcem Altenstein capitur, & suis vestibus exuitur, equestribusq; induitur. Equites aurigam bene verberando cogunt celeriter currum cum Amsdorfio auehere, Lutherum verò ipsi per syluam hinc inde ducentes, noctu in arcem VVartberg, tanquam captiuum collocant. Pathmos locus ille postea dictus est, in quo multa præclara scripta tanto Propheta & Confessore digna Lutherus scribit & edit. Incidit quidem in morbum lethalem, & tentationibus grauissimis impugnatur, spectrisq;, & dæmonum tumultibus nocturnis vexatur, sed per Dei gratiam ita sustentatur & restituitur, vt hic Eremita in solitudine sua plus efficiat, quàm mille alij in publicis scholis & Ecclesijs, & absens priuatam Missam omnis idolatriæ Pontificiæ feculentam & limosam scaturiginem, VVitebergæ abroget, consentientibus Augustianis suis, pro fessoribus, Scholasticis, & ipso Electore. Louaniensibus, Latomo, & Henrico Angliæ Regi, cui calamum Erasmus Roterodamus & Cardinalis Eboracensis accommodabant,

Pathmus insula in mari Aegæo, in quam relegatus sub Domitiano Imperatore Iohannes Apostolus Apocalypsin scripsit.

respondet ex Patmo. Sæpe ad VVitebergenses suos scribit, & Spalatino serijs iocosa grauiter miscens significat, se etiam in quadam venatione fuisse duobus diebus, & vidisse voluptatem illam Heroum γλυκύπικρον: cepimus, inquit, duos lepores, & aliquot perdiculas miseras: dignam profectò occupationem hominum ociosorum. Quantum voluptatis attulit species illa rerum, tantum misericordiæ & doloris miscuit mysterium. Quid enim ista imago, nisi Diabolum significat per insidias suas, & impios magistros Canes, scilicet Episcopos & Theologos, venantes innoxias istas bestiolas? nimis præsens erat mysterium hoc tristissimum de animabus simplicibus & fidelibus. Accessit & atrocius mysterium, cùm mea opera lepusculum seruassemus viuum, & intra manicam meæ tunicæ inuoluissem, ac paululum discessissem, canes interim inuentum miserum leporem per tunicam fracto eius crure dextro, & suffocato gutture extinxerunt. Scilicet, sic sæuit Papa & Satan, vt seruatas etiam animas perdat, nihil moratus meam operam. Deniq; satur sum eius venationis: dulciorem arbitror, qua iaculis & sagittis vrsi, lupi, apri, vulpes & id genus magistrorum impiorum confodiuntur. Solatur tamen me, quod proximum salutis est mysterium, lepores & innoxias bestias ab homine capi, quàm ab vrsis, lupis, & rapacibus accipitribus & similibus Episcopis & Theologis, quod hîc ad infernum, illic ad cœlum deuorari significentur. Hæc sic per literas ad te luserim, vt scias vos aulicos feriuoraces, fore etiam feras in Paradiso, quas vix multa industria capiat & seruet Christus optimus venator: vobis luditur, dum in venatione luditis, &c: Hæc de venatione in Patmo Lutheri, non sunt obliuioni tradenda, præsertim aulicis, & tamen pijs animis.

Dum autem hæc magno spiritu & prospero successu à Luthero fiunt, hostis veritatis & curriculi ac progressus huius, Satanas, VVitebergæ per A B C D. (Sic enim eruditiores Andream Bodenstein Carlstadium Doctorem, α β γ δ, patrem omnium fanaticorum huius ætatis, & antecessorem Caluinianorum, quos hodie in his mundi fecibus passim in

ſum in aulis, Academijs & rebuſpubl. habemus, nominarunt) zizania diſſeminat venenata, & excitat tumultus nouos, ſtatuas è templis eijciens, libertatem fingens cum maximo ſcandalo coniunctam, Cœnam Dominicam iubens homines ipſos abſque Confeſsione, abſolutione, & informatione ſui, indignis manibus ſuis accipere, raptus ſpirituales ſeu enthuſiaſmos comminiſcens, qui faciant, vt non ſit opus ſtudijs, meditationibus, ſcholis, literis, profeſsionibus, gradibus, dignitatum titulis & teſtimonijs: qua perſuaſione etiam dementatus homo inſulſus, ferox, ingenio, doctrina, ſenſu communi, humanitate, pietate Chriſtiana, veritate, & ſpiritu ſancto carens (vt D. Philippi elogijs, quibus iſtum anteſignanum fanaticorum ornat, vtamur) poſtea ipſe ſuam vocationem Eccleſiaſticam & ſcholaſticam deſerit, ruſticis ſe aſſociat, ligna ſecat, cretam, ſulphur, picem, chartam, vinum aduſtum vendit, & à vicinis non vult ſimpliciter Andreas, multò minus Doctor, ſed ruſtico idiotiſmo, Neber Endreß/ id eſt, vicinus noſter Andreas, ſalutari. Ad hoc delirium acceſſerunt Enthuſiaſtæ ad Salam in Turingia, vnde poſtea originem traxerunt Thomas Muncerus, Anabaptiſtæ, ſeditio ruſticorum, & lues ſacramentaria paſsim hodie oberrans, peſtis & interitus Eccleſiarum, ſcholarum, politiarum concordiæ vitæ & morum. Et idem homo alios quoque non malos ita occæcauit, vt quidam Quintiliani publicus Profeſſor Philippus artem piſtoriam exercere inciperet: vnde Pontificij aliqui Philippum Melanthonem in tantum amentiæ veniſſe ſcripſerunt, vt deſerta vocatione & exuſtis libris ſuis mechanicas operas fecerit: quod mendacium Surij monachi nimis impudens eſt.

1 5 2 2.

Lutherus cognitis turbis Carlſtadianis, rogatus & monitus, permotusq; literis VVitebergenſium, in primis Philippi, qui domi quoq; habebat Marcum quendam Enthuſiaſtam, redit VVitebergam ſeptimo die Martij, & ad Fridericum Electorem ſcribens excuſat ſe, quod ipſo inſcio Pat-

mon deferat. Diligenter & accuratè mecum ipse perpendi (inquit) Illustriss. Princeps, prouidendum mihi esse, ne vel quid oneris & inuidiæ, Celsitati vestræ cumularem, vel molestia aliqua eam afficerem, si inexplorata voluntate illius, nec permissione reditus impetrata, VVitebergam subitò me reciperem: quia speciosa quadam veri similitudine exaggerari possent discrimina & pericula, quæ & personæ, & ditioni, ac subditis Cels. V. propterea impendere viderentur, in primisq; mihi ipsi, vt cui iam edictis, fulmine, & autoritate Pontificia & Cæsarea, damnato, & quantum in ipsis fuit, infra mortuos amandato, singulis horis violentus interitus expectandus sit. Verum quid faciam? Vrgent me causæ ineuitabiles. Deus cogit & vocat. Hic nulli creaturæ tergiuersandum est: age, fiat igitur in nomine Iesu Christi, qui est Dominus vitæ & mortis.

Causas reditus sui exponit tres: Primam, quòd tota Ecclesia VVitebergensis precibus multis præsentiam Lutheri expetat. Cum igitur negari minimè posit, quòd per me, inquit, emendatio doctrinæ in hac Ecclesia ceperit, non potui recusare, quin accurrerem, non metuens aliorum iudicia, qui VVitebergam & quidquid ibi diuinitus incoatum est, omnibus diris deuotum, & immensis terræ hiatibus absorbendum cupiunt. Horum impietatem non moror, qui certò scio, meum verbum non à me, sed à Deo profectum esse, quod nullum genus mortis aut persecutionis, Deo iuuante, mihi excutiet, aut diuersum docebit, sicut & rectè diuinare possum, nullis terroribus, nullaq; sæuitia hanc lucem aboleri posse. Secundam causam ostendit esse scandalum ortum ex turbis excitatis VVitebergæ, requirentibus non absentem, & scribentem tantummodo, sed præsentem, viuum, loquentem & audientem Lutherum, cuius conscientia nullius moræ spacium aut dilationem vlteriorem ferre amplius posit, etiam cum offensione Principis, & odio totius mundi, & vitæ periculo. Tertiam causam ait esse impendentes Germaniæ pœnas & horribilem seditionem secuturam contemtum & ingratitudinem beneficiorum Dei, in

primis,

primis, doctrinæ Euangelij. Cum autem Deus postulet ipsi opponamus nos tanquam murum pro populo, ideo necessarium hoc esse arbitrari, hac de re communicato cu fratribus consilio & studio, monendo, hortando, docendo omnia agere, vt ira & iudicium DEI auertatur, aut mitigetur, & differatur. Rogat igitur clementer consuli & ferri reditum suum, & affirmat forti confidentia, de se Principi nihil periculi metuendum esse.

Reuersus VVitebergam Lutherus accipit multorum Principum & Doctorum edicta & literas condemnatorias. Parisienses damnant libros Lutheri. Viennenses exurunt eosdem iussu Cæsaris. Episcopus Moguntinus & Magdeburgensis Indulgentias repetit, & grauiter monitus a Luthero remittit. Scripserat ad eum Lutherus admodum animosè: Non tacebo, inquiens, ad nundinationes & auaritiam indoctorum Episcoporum: Viuit Deus, qui Papæ restitit: is etiam Cardinali Moguntino resistet, & Pharaones induratos suffocabit. Iuuenes estis Principes, & putatis vobis omnia licere: sed exitus acta probabit, & vos pessundabit, ac discrimen inter Episcopum & Lupum ostendet: Num meri Gigantes, Nimrodi, & Babylonij facti estis? qui etiam sacerdotes coniugatos remouetis. Auferte prius scortorum vestrorum agmina, quàm coniugia pia dirimatis: eijcite trabem ex oculis, antequam festucam proximo extrahere conemini. Damnant Lutherum Episcopi, Naumburgensis, Freisingensis, Misnensis, Brandenburgensis: Dux Georgius Saxoniæ, & Henricus Dux Brunsvvicensis, & omnia eius scripta prohibent, & execrantur, accedente Henrici Regis Angliæ scripto, vt dictum est antea. Caspar Sachatzgeier monachus VVirtzburgensis Patrocinium votorum monasticorum contra Lutherum suscipit. Pergunt & Emserus auto[illegible]e Georgij Saxonis, Iacobus Latomus omnium aduers[illegible]um eius ætatis doctissimus, & alij multi, e[illegible]ulgatis in[illegible] & disputationibus. Cancellarius Badensis insurgit in [illegible]m. Erasmus ipso idem facit, de quo ad Borneruin [illegible] Lutherus scribit: Non est Erasmus in sum-

umma rerum Christianarum formidabilis: potentior e..
itas, quàm eloquentia, potior spiritus quàm ingenium,
aior fides quàm eruditio: victoria est penes balbutientem
eritatem, non apud mendacem eloquentiam. Non prouocabo Erasmum, sed prouocatus referiam: si se commiserit huic aleæ, videbit Christum, nec portas inferni, nec potestates aëris formidantem, & occurram balbutientissimus eloquentissimo Erasmo cum fiducia, nihili habita eius autoritate, nomine, & fauore, &c. Inter tot hostes Carlstadius cum iconomachis nouis spiritibus non quiescens stringit & ipse clam & palam calamum in Lutherum. Is verò ad Spalatinum scribit: Rector & Iudices agunt vt vel reuocet, vel premat libellum quod non vrgeo: neq; enim Satanam ipsum timeo, neq; Angelum de cœlo, quanto minus Carlstadium? Cæterum Fridericus Elector etiam fit solicitus de Luthero, præsertim ob Ducis Georgij vicini & consanguinei sui nomen & autoritatem summam. At Lutherus optat optimum Principem de se nihil esse anxium. Valde vellem (scribit Spalatino aulico Theologo) Principem nostrum sua curare, & me sinere cum Satana squamisq; suis agere, sicut & antea scripsi: cœlum non ruet: Si id non credit, ego tamen credo. & certus sum: quanquam quid verbis laboro? quis non videt, præsente opere Dei hactenus omnium minas versas in ludibrium? Qui fecit sic, faciet sic in finem. Nullius, nisi meo periculo ista res geritur & geretur. Scribit Lutherus & ad ipsum Electorem, affirmans se de veritate doctrinæ certissimum esse, & vocationem à Deo habere, seque iam diu satis superque humilem fuisse, VVormatiæ & aliâs semper, & nunc non amplius opus esse humilitate ista, ne Deus irritetur, qui vult sibi confidi, & non Principibus, nec metui iracundiam hominum, Ducis Georgij aut aliorum, ac se non niti brachio Electorali, nec illud expetere, sed repudiare prorsus, & habere longè aliud & firmius scutum quo ipso etiam Elector protegatur, & credentem participem fieri protectionis huius, Electorem verò adhuc esse nimis infirmum in fide, & ideo nullum ad protectionem, con

suler-

autem se, vt quiescat Lie-ctor, taceat, nihil agat, & to-
. negocium committat Deo, cuius illud sit, nec incredulitate sua impediat Dei cursum & bonitatem, se etiam solum esse in periculo, & non posse morem gerere Electori periculum auertere volenti: si propterea capiatur & interficiatur, Electorem excusatum esse, cui non liceat se opponere superiori & summo magistratui, Cæsari, ne seditiosus & rebellis videatur, sperare tamen se, aduersarios cogitaturos esse de cunarum splendore & dignitate, in quibus Ector natus cubuerit, nec facile abusuros esse ipsius autoritate ad carnificinam in Lutherum exercendam: si autem velint Lutherum ipsi sublatum, captum, occisum, age, Electorem non debere portas claudere, sed vim ferre, atq; ita satisfacere Cæsaris voluntati sine suo periculo & detrimento, &c.

Extat epistola Lutheri eodem tempore scripta ad nobilem & Generosum D. Hartmannum à Cronberg Veritatis Euangelicæ confessorem & propugnatorem strenuum. Ea consolationum plenissima est. Certi sumus, inquit, nihil obesse nobis posse furorem aduersariorum, verùm quo impensius aduersus nos atra bile perciti insaniuerint, hoc magis rei nostræ consultum iri, certò speramus, ipsis interim pereuntibus. Ridiculum sanè minarum & terriculamentorum genus, si Christum & Christianos, mortis formidine ab instituto deterrere statuerint, cum ipsi sint mortis Victores per Christum, qui de morte deuicta triumphauit, & omnibus suis trophæum fixit: non secus, ita me Deus bene amet, delirant illi, ac si quempiam per hoc deterrere in animum induxerim, si equum eius instrato ephippio adhibitisq; habenis instructum, equitandum ipsi producerem. Verum non credunt Christum surrexisse à mortuis, eundemq; mortis ac vitæ ex æquò Dominum esse: conditus apud illos iamnum sepulcro detinetur, aut apud inferos constitutus ambulat. O Deum immortalem, quanto maiorem Chri- x mortuis resurrectio præstat fiduciam, quàm quæ aut terreri possit incusso timore, aut dimoueri ab officio, ol-

laria

laris ac ficulneæ illorum tyrannidis fulminibus. N
rent, se nos lassitudine fractos exuperare posse, nisi
stum á dextra Dei Patris Omnipotentis deturbatum
imum vsq; præcipitent, & alium in eius locum sufficiant.

Domine Deus Pater cœlestis obsecramus te pro tua inexhausta bonitate, dignare nos potius nulla non peccatorum sentina immersos labi multifariam, si peccandum nobis est, tantum á cæcitate & amentia, á compunctionis spiritu nos tutos retine, in eo, quem & peccatorum & innocentiæ Dominum constituisti, quem si confitebimur in oculis semper circumlatum, nihil est, quod vereamur aut peccatorum iniustitiam, aut mortis potentiam, aut inferorum terrorem nobis obesse posse, &c.

His scilicet scribendis Lutherus incumbit, solius Dei ductu & spiritu, & pergit pugnando cum contra seditiosos & domesticos fanaticosq; spiritus, Nicolaum Pelargum seu Storch militari habitu incedentem, Principem Pro hetarum cœlestium, Gerardum Coloniensem, Marcum & Thomam Muncerum, Carlstadium, & similes, tum contra cæteros hostes, priuatim & publicé docendo, & sacra Biblia in linguam nostram vernaculam vertendo, ea proprietaté & perspicuitate, quæ superat optimorum Commentariorum excellentiā, vt multos ex sanioribus & doctoribus aduersarijs audiuimus id aperté agnoscentes & fatentes. Fuerūt quidem, qui pro concione virgis cederent versionem Germanicam Lutheri. Quid enim non facit petulantia & malitia? cum hodie videamus, Caluinianos integra Biblia nomine Lutheri edere, ꝓsus deprauatā, ita, vt si ea Lutherus videret, non tantū non agnosceret, sed reijceret omninō, & falsarios omni honestate, nedum pietate, carere pronunciaret. Emserus, quer Caprū nominant, Nouum testamentum Lutheri taxare conatus est, & autoritate Georgij Ducis, versionem certé n aliam, sed ex Luthero propemodum de verbo ad verb transscriptam, & interdum vocula vna atq; altera, quod facilimé potest, mutatam, ceu plagiarius priori gen testamento opponere voluit, sed plané infelici prog

nuerint ista ipsius exemplaria, &
..exium Crosnerum Choldicensem, pu-
..octrinam Dresdæ publicè & fideliter docen-
..uato Ducis Georgij vrbe excedere, & importu-
..s imprecationibus cum familia in exilium ire compulisset, subitanea morte, miserandis & tristibus gestibus, extinctus sit, non dissimili exitu isti tragico fini Iacobi Latomi, cuius supra mentio facta est. Fuit is, vt obiter etiam hoc indicemus, omnium, qui contra Lutherum insurrexerunt, doctissimus: prædicante ipso Luthero excellentem eius doctrinam, licet scholasticam tantum, & longè superantem Clitophei, Eccij, Rosensis & similium argutias & subtilitates. Habitus etiam fuit pro viro candido, qui ex animo sentiret, vt scriberet. Morti autem vicinus, iussit conuocari magistros, vt aiunt, nostros, & astantibus cum gemitu & suspirijs ex alto ductis, inquit, propterea accersi vos iussi, vt testarer, doctrinam, quam vocamus Lutheri, & quam furenter persequimini, esse veram Christi, Apostolorum, & Ecclesiæ doctrinam, nostram autem esse impiam & diabolicam, & me ob ista scripta, quæ sciens & volens contra conscientiam recens edidi in gratiam vestram aduersus Lutheranos, esse damnatum. Ad hanc vocem cum attoniti & stupidi sese inuicem isti intuerentur, & cordatiores iuberent eum de misericordia DEI non penitus desperare etiamsi iam iudicaret se malè fecisse, ille de piorum supplicijs, exilijs, suo suasu occisorum & patria pulsorum, multa cùm commemorasset, tandem ingemiscens addidit: Frustra laboratis, frustra me consolamini, quandoquidem certò scio, me esse damnatum: atq; cum hac voce statim expirauit. De Biblijs autem sacris, & horum versione Germanica totius mundi thesauris preciosiore, cuius exemplaria ab vno typographo quadragies mille ante annos sanè septendecim imprimi meminimus, dicendum est aliâs. Vnum hoc addo, Lutherum grauiter scribere, se optare, vt omnes, qui imaginentur & policeantur sibi eruditionem præ alijs insignem, adhibeantur ad laborem rectè transferendi Biblia in Ger-

 manicam

manicam linguam, certò enim n
omnem de sua eruditione persuasion
quid, & honore suo fruantur, censuris suis
ant (quod etiam stultissimus quisq; facere solet) &
multa non indigna laude: nobis Germanica versio care
omni fuco, omni caligine, omnibus labyrinthis, perspicua, propria, doctrinæ & consolationis plena, lux & via est, Versiones alias in lingua quacunq; & intelligendi, & dijudicandi, & quid de aliorum laboribus & versionibus statui debeat, rectè cognoscendi, & pronunciandi.

Cæterum cum Lutherus ab aulicis potissimum, & alijs multis accusaretur nimiæ vehementiæ, excusat se, quòd non ex priuato odio aut alio malo affectu, sed ex amore gloriæ & veritatis Dei opponat se ijs, qui alia ratione ad Dei timorem adduci & emendari nolunt, nisi detectione errorum & scelerum, quibus indulgent, seque exemplum Christi, Petri, & Pauli imitari, qui hostes induratos nominent genimina viperarum, fures, latrones, fatuos, natos ex diabolo, proditores, canes, mendaces, bestias, fraudulentos, seductores. Et memorabilis vox est Doctoris Pomerani, qui dixit: Opinabar Patrem nostrum Lutherum nimis vehementem esse in Henricum Regem Angliæ, sed iam video nimis lenem fuisse, & vaticinatum esse de horrendo lapsu Regis, ita, vt fateri cogar, spiritum sanctum dictasse omnia verba Luthero; cuius spiritus non est alius, nisi sanctus, verax, constans, & inuictus.

V I. 22. Decembr.

1 5 2 3 & 1 5 2 4.

Cùm anno præcedente Ordines Imperij conuentum indixissent Noribergæ, Adrianus V I. Pontifex, qui Caroli V. præceptor fuerat, Germanus absens & incognitus Romanis, in locum Leonis Decimi rebus humanis exempti, Cardinalium consensu electus, mittit eò Legatum Franciscum Cheregatum Episcopum Apratiensem, literis scriptis ad Fridericum Electorem, & ad Principes Germaniæ,
jubens

ari. Paulò post moritur Pontife
andum est, quòd in formula act
e confessus est, maxima peccata & fl
, & totius sedis Romanæ inundasse per v
terrarum orbem. Verba instructionis Pontificiæ sunt: Dices nos ingenuè fateri, quòd Deus hanc persecutionem Ecclesiæ suæ inferre permittit, propter peccata hominum, maximè sacerdotum & Ecclesiæ Prælatorum. Certum enim est, non esse abbreuiatam manum Domini, vt saluare nequeat, sed peccata diuidere inter nos & ipsum, & abscondere faciem suam à nobis, vt non exaudiat. Clamant scripturæ: peccata populi deriuari à peccatis Sacerdotum. Propterea, vt ait Chrysostomus, Saluator noster curaturus infirmam ciuitatem Hierusalem, ingressus est prius templum, vt peccata Sacerdotum primò castigaret, instar boni Medici, qui morbum à radice curat. Scimus in hac sancta sede, aliquot iam annis, multa abominanda fuisse, abusus in spiritualibus, excessus in mandatis & omnia deniq; in peruersum mutata. Nec mirum, si ægritudo à capite in membra, à summis Pontificibus in alios inferiores Prælatos descenderit. Omnes nos (id est Prælati & Ecclesiastici) declinauimus, vnusquisque in vias suas, nec fuit iam diu, qui faceret bonum, non fuit vsq; ad vnum. Quamobrem necesse est, vt omnes demus gloriam Deo & humiliemus animas nostras ei, videatque vnusquisque nostrum, vnde ceciderit, & se potius quilibet iudicet, quàm à Deo in virga furoris sui iudicari velit. Qua in re quod ad nos attinet, pollicemur, nos omnem operam adhibituros, vt primum curia hæc, vnde fortè omne hoc malum procesit, reformetur, vt sicut inde corruptio in omnes inferiores emanauit, ita etiam ab eadem sanitas & reformatio omnium emanet. Ad quod procurandum nos tantò arctius obligatos reputamus, quantò vniuersum mundum huiusmodi reformationem auidius desiderare videmus.

Adriano succedit Clemens se'
Is Noribergam mittit ad Con
'ampegium vrgentem seriò Lut
Cancellarius Treuirensis Campegium ...
... anis deletionem & exitium intra paucos menses ... turum minitans, apoplexia forti & subita ibidem extinguitur. Cæsar per literas exprobrat statibus Imperij negligentiam in exequendo mandato suo contra Lutherum. Status decernunt, liberum Concilium primo quoque tempore in Germania indicendum esse, & interea viros doctos deligendos esse, qui ex Lutheri & aliorum libris colligant ea, quæ videantur indigere correctione, & Principibus in proximè futuro conuentu exhibeant. Nihilominus nouum Cæsaris edictum anno sequente, 1524. contra personam & doctrinam Lutheri promulgatur, quod Lutherus ipse denuò in publicum edit, & Germanis dedicat, quos inquit esse Pontificis martyres, asinos, lictores, & carnifices. Inter cætera alloquitur Principes his verbis: Properatis, vt me miserum & vnum homuncionem occidatis, quo facto putatis vos vicisse: at ego aliud vobis dicam, si modò venter vester auribus non careat: Quid si Lutheri vita tanti æstimetur coram Deo, vt, nisi illo viuente, nullus vestrum de vita & salute sua certus esse posit, & illo mortuo omnis generis infortunia vos obruitura sint? Pergite modò, pergite, cremate, occidite. Deus non irridetur. Non cedam vobis in minimo, Deo me iuuante: hic sum & rogo vos amantissimè, vt si occideritis me, non resuscitetis, ne secundò occidatis. Video Deum me non obiecisse sanis hominibus, sed germanicis bestijs, quæ me ceu lupi & porci dilaceratum cupiunt: quod tamen nec moror nec metuo. Tollere me non poteritis, nisi Deo me ad se vocante, qui vos facile nullos facere potest, vt scriptum est: Dominus reprobat consilia Principum. Et Deus effundit contemtum super Principes. Deposuit potentes de sede, &c:

Ad edictum Cæsarianum accedebant bullæ nouæ, & cripta ... ...æ. His singulis Lu

theru

nonem Pontificium examinat, ali- ...gelicæ profeſsionem adflictos conſo- ...os, Rigenſes Liuoniæ, Miltenbergenſes, ...enſes, & alios, ac contra fanaticos ſpiritus, Mun- ...rum, ſeu Monetarium & ſocios huius Alſtetinos, prorſus ſimiles fanaticis Exorciſmum in baptiſmo hodie adorientibus, libero ſpiritu aſſurgit, & monet Electorem officii ... quiens: Quia iſti Prophetæ præ cæteris nullum memorabile facinus edere potuerunt, quemadmodum libenter voluiſſent, poſthabito animarum liberandarum officio, ligna, lapides, ſculptas, & pictas imagines vi adoriuntur (adde, Exorciſmum tollunt magno cum ſcandalo) & hoc putant mirabile illud & multis ſeculis memorandum eſſe ſancti ſpiritus facinus. His furentibus & temerarijs hominibus reſiſtendum eſt, qui præter officium verbi, quod obire debebant, pugnis & violentia vti volunt, & ſexcentis ſpiritibus, vt iactant, ſunt pleniſsimi, &c.

Hoc anno Lutherus exuit monachalem veſtitum, & induit eum, qui concionatori Euangelico conuenit: die Omnium ſanctorum, donante ei pannum pretioſum Friderico Electore.

1525.

Exoritur ſeditio ruſticorum paſsim in Germania aduerſus Principes, Comites, & magiſtratum politicum, quam Lutherus prædixerat ſæpe, inſcius tamen & ignarus modi iſtius planè impij & abſurdi, de quo ipſe ita ſcribit: Iudico, melius eſſe omnes ruſticos cædi, quàm Principes & magiſtratus, eô quòd ruſtici ſine autoritate Dei gladium accipiunt: quam nequitiam Satanæ neceſſe eſt ſequi vaſtitatem Satanicam regni Dei. Ruſticos hoc in propoſito juſtificare, horum miſereri, illis fauere, eſt Deum negare, blaſphemare, & è cœlo velle deijcere. Huic ſeditioni oppoſuerunt ſe Principes magna autoritate & coniunctione, qua opus fuit. Elector Saxoniæ fortiter armatus pacis & reconciliationis gratia copias conſcripſit, ... noſcens ... iuſtas

cœnas dixit, facile fieri posse, vt D...
peccata puniat, qui miseris subditis an...
beant rebellandi, seq; paratum esse ad toleran...
se fuisse hactenus Principem Electorem stipatum eq...
& curribus, quos si Deus auferre velit, etiam peditem deinceps incedere velle, & Deo se & suos subijcere, cuius voluntate & protectione nitatur. Obijt paulo post optimus & verè sapiens Princeps, quinto Maij, in arce Lochau, quæ hodie Annæburgum ab Inclita Electrice Anna Daniæ Regina denominatur, sepultus VVitebergæ in choro cænobij Franciscanorum, habente conciones funebres duas Luthero. Ei succedit Iohannes frater Elector, de cuius consensu Lutherus nuptias celebrat, mense Iulio cum Catharina moniali, nobili à Bora: qua re offendit non tantum hostes, Miritianum & Hasenbergium calumniatores & asinos Lipenses vt, vocat, sed quosdam etiam amicos, vt D. Camerarij epistolæ testantur. Eodem anno etiam Sacramentarij autore Carolostadio & Cinglio de Eucharistia litem antea ceptam continuare pergunt, vix iam sedatis rusticorum turbis, quorum vltra centum millia hinc inde cæsa sunt. Interrogatus à Godsaligo Theologo Zellensi de Cinglij argumentis totum Papatum damnantibus, respondet his verbis: Non sunt suspecta omnia, quæ apud Papistas recepta sunt, alioquin & baptismus & tota Biblia suspecta erunt. Hoc sit magis suspectum, quod Carlstadius primus opinionem istam protulit, cuius argumenta Cinglius & Oecolampadius in totum respuunt, & tamen opinionem alijs defendere nituntur, ac stulti non nisi potissima argumenta Carlstadij à sese damnata proferunt. Ridiculus mihi spiritus, &c.

1 5 2 6.

Carlstadium remotum & abire iussum, Lutherus apud Electorem ex commiseratione, & spe concepta emendationis, sua intercessione, ad obtestationem ipsius assiduam, restituit regioni: vt ad VVitebergam vicinus tranquillo in loco vi... ... non seruate... posteriora prioribus deter... suo t... & loco, cum ad decimum

Con

: articulum, Deo iuuante, perueni-

...hero publicantur hoc anno in Henricum ...um; qui Erasmi operâ vsus, admodum acerbè & ...menter humilimis Lutheri literis responderat, scriptis suasu Regis Daniæ Christierni, exulis, VViteberga Diaconi officio ad altare diligenter fungentis, & vnà cum coniuge Elizabetha Caroli Quinti sorore Lutherum humili reuerentia prosequentis, audientis, consulentis, quæ etiam eodem anno piè obijt magna fide, accepta Cœna Domini, legitimo ritu Christi, nec persuaderi potuit, licet fortiter tentata per proceres, vt in Papæ fidem rediret. Scilicet Christus etiam aliquando (vt Lutheri verbis vtamur) Reginam talem voluit in cœlum vehere.

Totus hic annus Luthero fuit molestißimus, cum ob cruentas literas Ducis Georgij, & Episcoporum insidias, tum ob Erasmi acerbitatem, tum ob Mysteriomagistas, (præ quorum Absolonum suorum insania, se Papistas iudicare mites, Lutherus affirmat) tum ob rumorem de conspiratione aliquot Principum facta aduersus Euangelij confessores, tum ob noua dogmata Schvvenckfeldij nobilis Silesij, & Crautvvaldi, Enthusiastarũ inflatorum: tum ob Comitia Spirensia more Germanis solito celebrata, id est, potu & lusu absoluta, præterea nullo fructu (vt ipse loquitur) nisi quod de Concilio spes fieret: tum deniq; ob tentationes grauißimas, quibus ad menses integros quatuor ita emaceratus Lutherus fuit, vt hoc colapho Satanæ accepto, Dauidis & Pauli exemplo, in morbum planè lethalem incideret, & Pomerani pastoris consolatione Spiritus sancti plena erigeretur, hoc modo: Sciat paternitas tua, vocem meam esse Dei vocem, & tibi incumbere, vt in & ex me Deum tecum loquentem audias, qui vult, vt animum recipias, & quod tibi iniunxit, vt alios doceres, hoc in te ipso præstes, &c. Hac seria & graui adhortatione Lutherus se erectum esse, sæpe testatus est.

Hunc paroxismum D. Iustas Ionas & Pomeranus chartæ commiserunt. Ad aurem sinistram cepit ægritudo quasi tumentibus fluctibus maris, & magna tempestate resonante,

non

312

non tamen intra, sed extra capu.
modum, vt nisi remitteret fragor it
deretur, occupante subinde murmure
stram, & eandem capitis partem, & syncope
ac frigore totum corpus corripiente, vt nec calor, nec
guis, nec sensus, nec vox, sed sola mortis imago adesse putaretur. Perfusus aqua frigida Lutherus cepit ardentissimè orare, & commendare Deo ministerium Euangelij sibi hactenus commissi. Indignus ego inquit fui, qui sanguinem meum, vt multi ex fratribus meis Euangelij confessoribus, pro Christo funderem: Iste verò honor etiam negatus fuit dilecto Christi discipulo Iohanni Euangelistæ, qui tamen multo peiorem librum contra Papatum scripsit quàm ego vnquam scribere potui. Cumq; astantes Deum orarent, vt propter Ecclesiam & se miseros & multos alios diutius in viuis maneret Lutherus, ipse inquit, Mihi mori lucrum est, sed manere in carne, propter multos necessarium. Domine Deus, paratus sum ad vtrumque, fiat voluntas tua. Conuersus ad Ionam & Pomeranum ait, Quandoquidem mundus gaudet mendacijs, dicent multi, me meam doctrinam in mortis hora reuocasse: vos ergo testes volo esse confessionis fidei meæ, qui scio me sana docuisse ex verbo Dei in ministerio meo, ad quod Deus me vel inuitum traxit, & purè tradidisse doctrinam de fide, caritate, cruce, & sacramentis: nullius damnum quæsiui, siue modestus essem, siue vehemens & immodestus viderer, sed potius salutem, etiam aduersariorum meorum. Acturus & scripturus quoq; contra Sacramenti deprauatores, Cinglianos, sed Deus forsan aliud de me iam statuit: maliciosus iste spiritus est Sacramentarius, non parcens gregi & verbo Dei: valde metuo vos impares fore fanaticis istis confutandis, & alijs sectarijs iam latè vagantibus & regnantibus. Sed Christus Satana potentior est, & eius Dominus & Victor est. Testamentum porrò vxori grauidæ & filiolis condidit hisce verbis: Domine Deus gratias ago tibi, quod volueris me esse pauperem & mendicum super terram, non habeo domum, agrum, posses-

possesiones, pecuniam, quæ relinquam: dedisti mihi vxorem & filios, tibi reddo, nutri, doce, serua, vt hactenus me, O pater pupillorum, &c.

Hic colaphus Satanæ diu, vt paulo ante diximus, durauit. Ideo publicæ in multis Ecclesijs pasim, & priuatæ preces factæ sunt, & ipse ad amicos paulatim conualescens scripsit, vsus his verbis: Ego oro, ne desinatis me & consolari & orationi vestræ includere, quia inops & pauper sum. Sacramentariorum Satanam & furias contemnere possum & vincere. At nunc ipse Satan per se cum tota potentia sua in me furit, posuitq; me Dominus illi velut alterum Hiob in signum, vt tentat me mira infirmitate spiritus: sed per sanctorum preces non derelinquor in manibus eius, quamuis vulnera cordis, quæ excepi, difficulter sanentur. Spes mea est, agonem hunc meum ad multos pertinere, quanquam nihil est malorum, quod peccata mea non meruerint: vita est verò, quod scio & glorior, me Verbum Christi purè & sincere ad multorum salutem docuisse, id quod Satanam vrit, qui vellet me vnà cum verbo submersum & perditum. Ita fit, vt à Tyrannis mundi nihil patiar quidem, dum alij occiduntur, exuruntur, & pereunt pro Christo, sed eô plus à Principe ipso mundi patior in spiritu. Per omnia benedictus Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi, qui voluntatem suam sanctam, & ô Deus quàm occultè bonam & placentem, in me perficiat.

Templum frequentans die Sabbati aliquoties dixit, Cras in nomine Domini accipiam corpus & sanguinem Domini nostri Seruatoris, vt glorificem veritatem institutionis Christi, & confundam Schvvermeros in Christum blasphemos. Valde debile caput meum est, neq; mirum, sed vbi Deus me confirmauerit, so wil ich mich mit dem Teufel vnd seinen Boten zu schmeissen / certabo & pugnabo contra sacramentarios. Agon iam meus supra vires est: Satan cum Angelis suis permissu Dei saluatoris me fatigat, sed Dominus conculcabit eum sub pedibus nostris. Iam sum languens

Lazarus & ægrotus Christi. Accedunt amici, Erasmus & Cinglius, & Iudæ exemplum complent, cogentes me cum Christo queri, Persecutus est inopem & pauperem, & contritum corde ad mortificandum. Porto iram Dei, quia peccaui ei: Papa, Cæsar, Principes, Episcopi, & totus mundus, oderunt & petunt me, & fratres idem faciunt: peccata mea, mors, Satan cum omnibus angelis suis sine fine sæuiunt, & propter Christum me persequuntur, qui & ipse me relinquit, sed non relinquet in finem peccatorem miserrimum. O vtinam, & iterum vtinam, Erasmus & Sacramentarij vnius horæ quarta, cordis mei experiri possent miseriam, quàm securus ego pronunciarem, eos sincerissimè conuerti & sanari posse. Nunc ipsi inimici mei firmi sunt, & viuunt, deniq; addunt dolorem super dolorem, & quem Deus percussit persequuntur. At nolo esse querulus & impatiens virgæ Dei, qui percutit & sanat, occidit & viuificat. Fieri non potest, vt quem mundus & Princeps eius sic oderunt, is Christo non placeat. Si de mundo essemus, mundus quod suum esset, diligeret. Magna mihi fecit, qui potens est, magna etiam à me requiruntur quæ feram. Christus meus, quem purè docui & confessus sum, sit petra & fortitudo mea. Faciat mecum, quod placuerit, tantum dicat Satanæ adfligenti Hiobum, & cribranti Petrum, Serua animam eius: & mihi: Salus tua ego sum.

Ad Nicolaum Hausmannum vsus est his verbis: Gratias ago Domino meo, qui hactenus Satanam non permisit voluntatem suam in me implere, quantumuis miris & magnis viribus & astutijs id quæsierit. Ora, vt in finem triumphet Christus in me aduersus impetum eius. Suspicor sanè, non gregarium aliquem, sed Principem istum dæmoniorum contra me insurrexisse, tanta est eius potentia & sapientia scripturis in me armatissima Et alibi: Seriò petor à Satana, incredibili ira & furore sæuiente, id quod valde sentire cogor. Mirum quàm se transfiguret in Christum ipsum, vt Angelum lucis taceam: omnes vires suas in me exercet, vt perdat: Christus autē, cui scio me placere, me fideliter seruauit & seruabit vsq; in finem.

in finem. Offendi Satanam multis libris, & offendam, quàm diu vixero, Christo ipsum offendente per me infirmissimum vasculum. Si Satan non voluerit desinere pergat furore suo, non cupio liberari à tentatione, si est gloria Dei mei Saluatoris suauissimi. Foris à toto mundo, intus à diabolo & omnibus angelis eius diuexari me sinam, Christo me confortante.

Tantum de paroxysmo spirituali nostri Prophetæ in exemplum & consolationem nostram, hoc etiam loco commemorare repetendo placuit. Hoc anno articuli sunt à quodam maleuolo editi doctrinæ Lutheranæ, quos ante aliquot annos Lutherus, cum adhuc errorib. Pontificijs deditus esset, scripserat. Hæc scilicet est nequitia (inquit Lutherus) recenter hoc anno declarata, assignato numero huius anni, quasi hoc anno sic sentirem. Sic Satan ludit in ira sua. De hac verò nequitia ideo auditores pios commonefacimus, quia hodie idem fieri videmus, & quidem tam crebrò & audacter, vt nuper & Catechismus Pontificius nomine Lutheri sit editus, & Sacramentariorum quidam scribere non sit veritus, non esse fidem habendam scriptis Lutheri polemicis, quæ Cinglianorum portentis opposita sunt, quandoquidem ipse fateatur, se insanum Papistam fuisse. At hæc quæ & quanta nequitia est? Lutherus enim longe ante, quàm Sacramentariorum fex ebulliret, nimirum anno vicesimo monuit omnes, edito scripto, vt prudenter & cautè legerent suos libros, quos hactenus edidisset: Oro, inquit: propter Saluatorem, legi mea cum iudicio, imò cũ multa miseratione: fui enim monachus & Papista insanissimus, cũ causam illam aggrederer, ita ebrius, & submersus in dogmatibus Papæ, vt paratissimus fuerim omnes, si potuissem, occidere, aut occidentibus cooperari, qui Papæ vel vna syllaba obedientiam detrectarent, &c. Hæc oratio quid aut quomodo ad polemica, quæ longè post scripta sunt, referri potest? Sed de his aliâs.

1 5 2 7.

Hoc demum anno Lutherus in publicum prodit grauissimo scripto contra sacramentarios edito de verbis, Hoc est corpus meum, adhuc & semper immotis & inuictis

plorat & lapſum Oecolampadij viri ſummi, & nobiliſsimi ingenij, de quo inquit: Doleo ex corde tantum virum captum friuolis & nihili argumentis in ſacrilega iſta ſecta, & in hoc barathrum prolapſum: pulſat eum Satanas: Dominus miſereatur eius, & eripiat eum. Vrbanum Regium in deliberari, ardentiſsimè precatur & efficit.

Peſtis graſſans Academiam diſsipat, & Ienam transfert. Lutherus VVitebergæ in ædibus etiam lue iam infectis perſiſtit, & vocatus ægrotos viſitat, ac quibuſdam ſtudioſis priuatim epiſtolas Iohannis prælegit.

Deplorat Martyrium Georgij VVincleri Biſchoffvverdenſis concionatoris Hallenſis, qui prope Aſchenburg vocatus eô ab Epiſcopo, à ſacrificulis Moguntinis interficitur, antecedente mortem ipſius portento, quo Magdeburgi in ſummo templo, quod cathedrale vocant, noctu, omnes candelæ & lampades, excepta vna coram altari, ſimul etiam in abditiſsimis angulis extinctæ fuerunt. De hoc Martyrio Lutherus ad Eccleſiam Hallenſem ſcribit peculiarem conſolationē. Et edit poſtea etiam de Leonhardo Cæſare Martyre facto in Bauaria, eodem anno, hiſtoriam admodum patheticam, qui mandato Epiſcopi Paſſauienſis ob confeſsionem veræ doctrinæ, quam Lutheranam vocant, Scherdingi combuſtus & ſublatus eſt, quantumuis intercederent pro eo Iohannes Elector Saxoniæ, Comites à Schaumburg, Comites à Schvvartzenburg, & multi alij. O me miſerum (exclamat Lutherus) qui Leonhardo tam ſum impar, verboſus prædicator illi tam potenti verbi operatori. Quis me dignum faciet, vt non duplo, ſed dimidio eius ſpiritu Satanam vincam, & hac vita cedam? Chriſtus faxit, vt Leonhardum imitemur, qui non ſolum Rex, ſed Cæſar meritò appellatur, quia vicit illum, cuius poteſtati nulla eſt æqualis ſuper terram. Leonhard rectè dicitur, id eſt, Leonis robur: certè Leo fuit robuſtus & impauidus. Omnia ſunt in eo fatalia nomina, &c. Hæc & plura de Cæſare Martyre Lutherus ſcribit ad Michaëlem Stifelium, cui ſeni decrepito, anno morienti & mortis præſentiam & vehementiam falsè

irridenti,

irridenti, aſſiti, eiusq; obdormientis oculos manu mea lenæ occluſi.

1528.

Secundum ſcriptum Lutherus edit in Sacramentarios, quos nominat vaniloquos, mendaces & blaſphemos ſpiritu ſubdolo volatiles, peſtes rabioſas, auerſantes lucem, & amantes tenebras ſuas vſq; ad inſaniam. Ei maioris Confeſsionis titulus præfigitur. Anabaptiſtas quoque inſanire incipientes refutat. Bibliorum germanicam verſionem continuat, & Prophetas reddit, de quibus ad Linccum ſcribit: In Prophetis vernacula donandis iam ſudamus, Deus, quàm moleſtum & quantum opus, Hebraicos ſcriptores cogere Germanicè loqui, qui reſiſtunt, tanquam ſi Philomela cuculum cogatur, deſerta elegantiſsima melodia, vniſonam illam vocem deteſtans, imitari, &c: Duci Georgio reſpondet Lutherus, & fœdus Epiſcoporum & Principum Pontificiorum, ipſo autore ictum, non eſſe de nihilo affirmat. Antinomorum etiam nouum dogma reprimit.

1529.

Catechiſmum, microbiblia, libellum paruum, imò minimum librorum in Eccleſia, ſicut Chriſtus in regno cœlorum minimus nominatur, tot res, quot verba, tot vtilitates, quot apices complectentem, pagellis breuem, ſed rerum theologicarum amplitudine incomparabilem, profert Lutherus in vſum docentium & diſcentium, compulſus extrema neceſsitate deprehenſa in Viſitatione, vbi paſtores & auditores paupertate & penuria doctrinæ ſanæ propemodum oppreſſos ſe inueniſſe queritur. Quas, inquit, miſerias videmus? Oremus Dominum, vt nobis omnibus adſit, & promoueat miſerrimos Epiſcopos ipſe optimus & fideliſſ. Epiſcopus noſter aduerſus omnes artes & vim Satanæ.

Eodem anno [illegible]nuentus Spiræ ab Imperij Principibus propter res Turcicas indicitur & celebratur, vbi multa de religione diſceptatio, [illegible]æ doctrinæ accuſatio incidit. Quia autem [illegible] Princip[illegible] [illegible]ſe iun-

ſtæ, communicato conſilio, ſe decreto conuentus iſtius op-ponunt, & proteſtantur (vnde etiam cepit nomen Prote-ſtantium oriri, quod apud exteras quoque gentes peruul-gatum eſt atq; celebre) omnis actio Comitiorum iſtorum inanis fuit, Deo ita diſponente, & Turca obſidione Viennæ, metum inijciente toti Germaniæ, ita, vt Lutherus ſcriptum de bello contra Turcam, & de conſternatione cohibenda, & vera conſolatione à Deo petenda, Panico iſto terrore ada-ctus, edere cogeretur.

Philippus Landgrauius Haſsiæ circa feſtum Michaelis, Marburgum conuocat Lutherum, Philippum, Ionam, Bucerum, Hedionem, Agricolam, Oſiandrum, Cinglium & Oecolampadium, ad conferendum de diſsidio in doctrna Cœnæ Dominicæ componendo. Lutherus cum Cinglio, Philippus cum Oecolampadio diſputat, tandem Lutherus cum vtroq;, & vtrunq; proſternit & anxium reddit hoc argumentorum
„ epilogo: Nos Verbo Dei nitimur: Verbum autem Dei dicit,
„ Chriſtum habere corpus: hoc credo: deinde hoc idem cor-
„ pus aſcendiſſe in cœlum, & ſedere ad dexteram Patris: hoc
„ quoq; credo: Dicit item, hoc ipſum Corpus eſſe in Cœna, &
„ dari nobis manducandum, quod etiam credo, quia Dominus
„ meus Ieſus Chriſtus hoc facere poteſt, cum vult, & velle ſe,
„ ipſe ſuis verbis teſtatur, quibus ego conſtanter nitor, donec
„ ipſe per ſuum ipſius verbum, mihi diuerſum dixerit, &c.

Etſi autem in doctrina de Cœna Domini conueniri minimè potuit, & Lutherus fraternitatis nomen, quod vnius doctrinæ & fidei teſtimonium eſſet, recipere nec noluit, nec debuit, ſed contrarium ſpiritum Sacramentarium ei, qui Chriſti verbo ſe ſubijceret, agnouit, adeoq; Cinglio & Oecolampadio intra triennium calamitatès & perniciem futuram prædixit, quæ etiam, illo immaniter interfecto & diſſecto in bello, hoc præ mærore ſuffocato, ſubſecuta eſt anno 1531. tamen in gratiam Landgrauij eò ventum eſt, vt vna pars alteri Chriſtianam dilectionem, pro conſcientiæ vniuſcuiuſq; conditione & incolumitate, promitterent, & Deum ſe coniunctis pr[illegible] eſſe [illegible]ent, vt viam Concordiæ ipſe

diæ ipse ostenderet. Fertur tum Landgrauio Oecolampadium interroganti de causa, ob quam à sententia Lutheri textum & verba Christi habentis, discederet, cum tamen ipse tantum glossas, verbis textus neglectis & sepositis, fingeret, respondisse, vera esse ista omnia, seq; optare, si possibile fuisset, manum suam dextram sibi amputatam prius fuisse, quàm vnquam aliquid de hac controuersia contra Lutherum & alios scribere cepisset. Sed de his peculiariter suo loco, Deo iuuante, iuuentutem monebimus. Cæsar hoc anno passim, præsertim in Hispania, de profligandis Lutheranis edictum, repetit & confirmat. Legatos protestantium, Electoris Saxoniæ, Georgij Brandenburgici, Ernesti & Francisci Luneburgicorum Landgrauij, Anhaldini, & coniunctarum ciuitatum, cum minis dimittit, excepto Michaele à Caden Noribergensi, qui Cæsari Catechismum à Landgrauio acceptum porrexerat cognoscendũ, & inde iudicium de doctrina, quam vocarent Lutheranam, faciendum. Cæsar enim libellum illum catecheticum Episcopo cuidam Hispano tradiderat, qui Cæsari percontanti de libello refert, in illo ius gladij prorsus adimi magistratui, & Christianos non esse qui magistratum gerant. Legerat calumniator ille in libello, Christum dixisse Apostolis, ne principatum affectarent, nec magnis titulis se salutari paterentur, quandoquidem Reges gentium talem potestatem sibi vsurparent. Cadenus ille Noribergensis de periculo monitus, clàm & celeriter in patriã redit, & quid subsit, significat. Legati Principũ & ciuitatum Schvvabachij primùm cõueniunt, fœdus icturi: sed Argentinensib. & Vlmensibus nondum Lutheri doctrinam de Cœna Dominica amplectentibus, dilata est deliberatio in conuentum Smalcaldensem, quo finito, & pleno consensu in Noribergicum conuentum reiecto paulo pòst, ante Comitia Augustana futurum, Argentinenses interea fœdus ineunt ad XV. annos cum Tigurinis, Bernatibus, & Basiliensibus: quo cæteri status protestantes admodum offensi fuerunt, & diminutus est numerus Confessorum. Conuenerunt quidem Norībergæ legati, deliberantes de reb agendis in Comitijs breui à Cæsare celebrandis, sed pauci illi paucorum Principum & ciuitatum fuerunt.

Cæsar

.1. Decembr.

Cæsar dissidia crescere passim cernens, explorat iudicia de controuersijs Ecclesiæ sedandis. Quidam Laconica sapientia respondent, non opus esse synodis, aut emendatione, sed armis delendos esse recedentes ab autoritate sacri ordinis, qui altera pars sit vniuersi orbis terrarum: Quidam mitius respondent, negari non posse, multas falsas opiniones coniunctas cum libidinum turpitudine, & cum auaritia nefanda, occupasse spirituales, quos vocant, & opus esse emendatione, cuius cura Imperatorem deceat, exemplo Constantini, Theodosij, Arcadij, Martiani. Hoc consilium probans Cæsar mitissimus, Bononiam profectus ad Coronationem, agit cum Clemente Pontifice de Concilio. Is statim Cæsarem monet, non opus esse Concilio, sed eradicatione & gladio. Cæsar inclementi Clementis sermoni per Mercurinum Cancellarium respondet, alia ratione opus esse, & hanc viam exequendi voluntatem Pontificis, minimè competere circumstantijs & rebus, quæ in Germania agantur. Clemens toruo vultu Mercurinum intuens, inquit, Cur mihi ita obloqui, & Dominum tuum contra me incitare audes? Mercurinus rursum: Quidquid dico, iussu Cæsaris dico, cuius consilium cùm videam esse salutare, & probo, & consulo, vt Maiestas eius in illo constanter permaneat. Indiget enim hodie Ecclesia non violentia, sed consilio piorum & doctorum virorum de multis maximis rebus. Huic responso Mercurini Cæsar iuuenis assurgens astipulatur, in consessu Principum admirantium, quid ipse dicturus sit, & Pontificem eò pertrahit, vt in Concilium indicendum consentiat. Pontifex vicissim Cæsarem eò per mouet, vt promittat, se primum pacificis rationibus Lutheranos ad obediendum Romanæ Ecclesiæ reducturum, aut si recusent, armis oppressurum esse. Hoc facto, Cæsar die 21. Ianuarij mittit in Germaniam literas, & Comitia Ordinum Imperij, religionis & Turcici belli potissimum causa, Augustæ Vindelicorum, die octauo Aprilis incoanda, indicit.

Pontificij

Pontificij quasi triumphu n celebr... incipiunt & policentur sibi radicalem euulsionem protestantium siue Lutheranorum. Pontifex enim, Cæsarq; fœdus fecerant hisce verbis, quo ad religionem, comprehensum: Cæsar & Ferdinandus, vt hæretici in viam reducantur, operam danto, & Pontifex sacra remedia adhibeto: quod si pertinaces perstiterint, Cæsar & Ferdinandus eos armis cogunto, & Pontifex, vt cæteri Christiani Principes ipsos pro viribus iuuent, operam dato. Præstiterat & paulò antè Cæsar Pontifici iuramentum solenne ante coronationis ritum his verbis: Ego Carolus Romanorum Rex, & breui Dei gratia, futurus Cæsar, per Deum Diuumq; Petrum promitto, policeor, testificor atq; iuro, me in posterum pro viribus, ingenio, & facultatibus meis, Pontificiæ dignitatis & Romanæ Ecclesiæ perpetuum fore defensorem, nec vllam Ecclesiasticæ illi libertati vim illaturum, sed potestatem, iurisdictionem & dominationem ipsius, quo ad eius fieri potest, conseruaturum ac protecturum, cuius rei testem voco Deum ipsum, & sancta Euangelia. De hoc fœdere & iuramento fama delata ad Electorem Saxoniæ & coniunctos, deliberationes difficiles parit, præsertim, an Cæsaris literis benignissimè scriptis fides adhiberi possit, an verò opponendum sit fœderi fœdus, & vnà cum Heluetijs, armis occurrendum Cæsari, antequam Alpes transcendat. Lutherus ad Electorem scribens, fœdus & bellum dissuadet. Nostrum est pati, inquit, & Euangelium non vi, & sanguinis effusione iniusta propugnare: ipsius Dei causa agitur, qui suæ causæ aderit, sicut hactenus fuit: Precibus plus obtinebimus, quàm aduersarij suis minis & terriculamentis: Vestra etiam Celsitudo nec meam, nec alterius cuiuspiam fidem defendere debet, nec id facere potest, sed vnusquisq; fidem suam ipse profiteri, nec alterius, sed suo ipsius periculo, credere, aut non credere debet, cum eò res peruenerit, vt summus noster magi... Cæsar nos supplicio afficere velit: sed interea aquæ ...nt, & facile inueniet Deus consilium, vt longè ...àm ipsi cogitant. Si à Cæsare citatus fuero,

ero, meo nomine comparebo, nec veſtram Celſ. vllis periculis noſtra cauſa inuoluemus, &c.

Hoc tempore Lutherus læto & intrepido animo (quô enim periculum à Satana & mundo intentatum, fuit maius & atrocius, eô alacrior ſemper ipſius ſpiritus viguit) componit oden ex Pſalmo 46. Ein feſte Burg iſt vnſer Gott/ & colligit ſententias ſacras in omnem euentum, ad conſolandas pauidas mentes in ſummis periculis, perſecutionibus & martyrijs, ac totam cauſam, omnesq; actiones Deo publicè & priuatim aſsiduis & ardentibus precibus commendat.

Elector pientiſsimo Lutheri conſilio obtemperans, parat ſe ad Comitia, & euocat Theologos ſuos Torgam ad deliberationem de doctrinæ præcipuis capitibus exhibendis Cæſari. Lutherus rogatus VVitebergæ primum conſcribit articulos ſeptendecim, ad quorum ductum & delineationem poſtea ipſa Confeſsio Auguſtana à Philippo ſcripta, & Lutheri approbatione, reliquis multis ſcriptis, quibus cæteri Principes & ciuitates etiam ſuos Theologos ſummam doctrinæ comprehendere iuſſerant, & quæ Philippus legenda, & quaſi cenſenda, non ſine multis moleſtijs propter nimiam illorum prolixitatem, in manibus habuerat, longè & meritò prælata, Imperatori exhibita eſt, vt oſtendetur infra.

Scribit Vitus Vinſemius medicus, & Græcæ linguæ profeſſor VVitebergenſis, piæ memoriæ, hiſtoriam de Torgenſi conuentu memoria digniſsimam, quam verbis ipſius, ex oratione funebri in exequijs Philippi habita, recitare non grauabimur. Erat (inquit) iuſſu Principum Torgæ in domo Parochi inſtituta inter Doctores noſtrarum Eccleſiarum primarios deliberatio difficilima: Aduerſarij enim tunc pene iugulo noſtro ferrum admouebant, & ſuperior poteſtas pacem, quam toties noſtri ſupplices petiuerant, in libra aurificis, vt quidam præſtans & magnus vir dixit, admetiebatur, noſtriq; Principes & qui docebant, non de cauſa commouebantur: quapropter D. Marti quidam docentes, Torgam conuocabant

erat, vt in medium consulerent, quid fieri, vel non fieri posset. Sedet igitur pauper, & paucorum senatus, à solo Deo auxilium orans, sperans & expectans. Existiment iam illi Heroes, qui nunc in tuto feroces sunt, qui tunc agon constitutus fuerit. Nam vt de minis taceam, conatus certè & molitiones aduersariorum eiusmodi erant, eaque pericula nobis impendebant, quæ nemo sanus facile contemnere posset: Contra quæ etsi Principes animo viderentur magno atque infracto esse, tamen quia ad multos periculum pertinebat, qui non pariter omnes animosi erant, & magna vastitas imminere videbatur, paucis docentibus, qui aderant, valde difficilis consultatio proposita erat. Tandem post preces & satis longum colloquium, Philippus defatigatus & mœstus surgit. Erat enim paulum euocatus nuncio quodam interpellante, quo dimisso ingreditur conclaue, in quo vnà erant miseræ mulierculæ, parochi & duorum Diaconorum coniuges ac paruuli liberi, quorum alij iam mammam sugebant, alij à matribus preces recitantes audiebantur. Astat & audit Philippus cum admiratione & magna delectatione, sicut solebat, puerorum balbutientes preces, memor dicti: Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem. Et quod præcipuè ipsum mouebat, videt ex Diaconorũ vxoribus vnam lactantem filiolum, & simul pastinacam in prandium marito incidentem, atq; audientem alterum paruulum recitantem vsitatas preces, & inuocantem Deum: Exclamat, ô tres sanctos & Deo gratos labores. Ab hoc spectaculo confirmatus animo, ac iam lætus atque alacris in senatum redit hilari vultu. Excipit eum Lutherus, Quid tibi, Philippe, accidit, inquit, quod ita hilaris ad nos redis, qui paulo ante tristior hinc exibas? Respondet ille, ne simus animo pusillo, Domini, iam enim vidi Heroas, qui pro nobis pugnaturi sunt, qui nos defendent, quiq; contra vim omnem inuicti erunt & manebunt. Quærit Lutherus, qui nam sint hi tam fortes duces, ac milites? Parochorum nostrorum & Diaconorum vxores, inquit Philippus, & paruuli liberi, quorum preces iam audi-

quas Deus non est surdis auribus auditurus, nec eas adhuc neglexit optimus Pater D. N. I. Christi, nec porro, vt speramus, negliget. Exceptus hic sermo est, vt felix & faustum omen, & iam animis magis confirmati statuunt id, quod pios & constantes Verbi diuini doctores decebat, & illud ipsorum consilium beneficio Dei, salutare fuit Ecclesijs, & afflictionem quæ imminebat, Deus clementer lenijt.

Elector Iohannes cum filio Iohanne Friderico, & Francisco Duce Luneburgensi, ac VVolfgango Principe Anhaldino, Torga mouens, Augustanum iter ingreditur, habetque in Comitatu secum Theologos, Lutherum, (quem postea Coburgi in arce dicta & ipsa Pathmo & Eremo Lutheri, vt is tanto vicinior sit Augustæ, si qua forte res ipsius consilium postulet, relinquit.) Philippum, Ionam, & Spalatinum, ac inter primos est, qui Augustam veniunt, aduersarijs longe aliud opinantibus & sperantibus, scilicet Electorem metu absterritum non compariturum esse. Et quia publicas nostri habent conciones maximo cum applausu hominum accurrentium ad monasterium prædicatorum amplum & capax, Pontificij apud Cæsarem Oeniponte commorantem efficiunt, vt illæ prohibeantur, quod post multas deliberationes & actiones, & quidem primum, cum Cæsar Augustam peruenisset, hac conditione conceditur, vt etiam Pontificiæ conciones suspendantur, vt infra ostendetur. Et interrogatus per literas ab Electore Lutherus consulit, non esse hac in parte resistendum Cæsaris imperio, sed vim patienter ferendam esse. Interea priusquam Cæsar adueniat, scribitur a Philippo Confessio Augustæ, & mittitur Luthero his verbis Electoris: Postquam nos & alij nostri Theologi VVitebergæ nobis clementer petentibus articulos de religione nostra controuersos, scripto breui delineastis, non volumus vos celare, iam M. Philippum denuo eos hic reuidisse, & in formam redegisse, quam vobis mittimus, & clementer petimus, vt eosdem accuratius reuidere & expendere non grauemini, & siue ita, vt scripti sunt, vobis placebunt, siue addendum aliquid aut adimendum esse cogitabitis,

cogitabitis, scripto sententiam vestram annotare, & sine mora remittere velitis, &c. Lutherus Confessionem, quam Elector Apologiam nominarat, remittens, sibi eximie placere inquit, nec se in ea quid corrigere aut mutare posse, neq; etiam conuenire, á se aliquid emendari, quandoquidem tam molliter & delicatè ipse incedere nequeat. Confessionem Philippus recognoscens subinde mutat, saluis articulis fidei, vt ipse ad Lutherum scribit, Quotidie, inquiens, multa mutamus, vt locum de votis, qui erat exilior iusto, nunc & de potestate clauium disputo: in articulis fidei si nihil putaueris esse vitij, reliqua vtcunque tractabimus: subinde enim quædam mutanda sunt, atq; ad occasiones accommodanda, &c: Adhibet autem Philippus ad consilium laborum & censuram, cæteros Theologos, in primis Iohannem Brentium, Iustum Ionam, Erhardum Snepfium, & Georgium Spalatinum. Hi enim, á partibus protestantium orthodoxi in Comitijs Theologi eo tempore fuerunt: Augustæ, Vrbanus Regius, Stephanus Kastenbaur, siue Agricola, & Iohannes Frosch, quem Ranam vocarunt. Electoris Saxoniæ, Ionas & Spalatinus cum Philippo. Brandeburgici Marchionis Georgij, Brentius, Iohannes Rurerius pastor Onolsbacensis, Martinus Moglinus Kittingensis pastor, & Adamus VVeiss, siue Candidus animo & sermone, pastor Creilsheimensis. Landgrauij: Snepfius, & Conradus Ordinger. Luneburgicorum Principum, D. Henricus Bock. Comitum Mansfeldicorum, Iohannes Agricola Islebius. Noribergensis reipublicæ Andreas Osiander. Exigui numero, sed rebus viuida virtus.

Dum autem Confessio adornatur, Landgrauius Hassiæ, de re Sacramentaria fluctuans, Philippum & Brentium scripto compellat de fraternitate ineunda cum Cinglianis: quam illi adductis rationibus ex verbo Dei, & examine conscientiæ desumtis, non posse iniri sanctè & constanter affirmant. Philippus varia metuens eam ob causam scribit Luthero, petens, vt is confirmet sua autoritate animum tenerum. Oro, inquit, te quàm maximè, vt ad ipsum scri-

bas, & horteris eum, ne oneret suam conscientiam, alicuius impij dogmatis defensione. Huic petitioni Lutherus morem gerit admodum graui scripto, in quo hæc verba magni ponderis sunt. Non inuidentia, non odio, aut superbia motus cum Cinglianis facere non possum, sed quod Deus nouit, iam pridem me eorum aggregassem parti, & doctrinam recepissem, si in sacris literis eam fundatam scirem: ijs autem, quibus illi innituntur fundamentis, conscientiam meam munire nequaquam possum, &c.

Ad Iohannem Præpositum Ecclesiæ Bremensis, pastorem simul scribit: Sacramentarij non solum, inquit, sunt mendaces, sed ipsum mendacium, fucus & simulatio factis & verbis: metuunt plebes suas, ad quas non liceret reuerti, si reuocarent. Volunt nos pertrahere in simulatam Concordiam, ac nos participes & patronos facere sui erroris. O astutum Satanam: sed sapientiorem Christum, qui seruauit nos. Ego iam desij mirari, si impudenter mentiantur. Video eos aliter non posse, atq; glorior isto casu. Videas eos, Satana regnante, iam non insidijs, sed palàm se mendacijs prodere.

Dum etiam Consilia Comitiorum ob Cæsaris absentiam differuntur, Lutherus Coburgi in Patmo ociosus esse nec vult, nec potest. Pergit in versione Prophetarum. Explicat Psalmos. Iocatur etiam elegantissimè de Comitijs monedularum. Fabulas Aesopicas siue Asaphicas ad vsum Germanicæ pueritiæ & vulgi vertit. Precibus ardentissimis incumbit assiduè, de quibus Vitus Theodorus popularis & patronus meus venerandæ recordationis, qui assecla fidelissimus Luthero Coburgi adfuit, amanuensis eius solertissimus, ad Philippum scribit inquiens: Non possum non satis mirari singularem hominis in his acerbissimis temporibus constantiam, hilaritatem, fidem, spem. Nullus abit dies, quin vt minimum tres horas, easq; studijs aptissimas in orationem ponat. Semel mihi contigit, vt orantem eum audirem: bone Deus, quantus spiritus, quanta fides in ipsis verbis inest. Tanta reuerentia aliquid petit, vt cum Deo: tanta spe & fide, vt cum Patre & amico se loqui sentiat. Scio aiebat, te Patrem &

Deum nostrum esse, certus igitur sum, quod filiorum tuorum persecutores sis perditurus, quod si non facies, tuum periculum cum nostro est coniunctum: Tuum hoc negocium est totum: nos ad id coacti accessimus: tu igitur defendes. In hæc ferè verba dum orantem clara voce procul stans audirem, ardebat mihi quoq; animus singulari quodam impetu, cum sic amicè, sic grauiter, sic reuerenter cum Deo loqueretur, & inter orandum promissiones ex Psalmis sic vrgeret, vt qui certus esset omnia euentura, quæ peteret, &c.

Cæsar Oeniponte subsistens, & differens aduentum, postulat per Legatos ab Electore Saxoniæ, vt aut ad matrem Ecclesiam Romanam, reiectis omnibus sectis, redeat, aut seueritatem iustam experiatur. Elector supplex respondet, & audiri se petit, nec inaudita causa damnari. Cæsar Cancellario suo, Viro summo, Mercurino Principe Cattinariæ, Cardinale nuper facto orbatur, qui Oeniponte, maximo sui apud omnes bonos relicto desiderio moritur. De illo Philippus ad Lutherum scribit: Feruntur duæ sententiæ consilij Cæsareani, altera, ne cognoscat causam, sed proposito edicto damnet: altera, vt cognoscat ordine, ac emendet vitia Ecclesiæ. In posteriore sententia dicitur esse Mercurinus ὁ ἀρχιγραμματεὺς, Vir summus & moderatissimus, quem aiunt dicere, se in aduersa valetudine hac spe secutum Cæsarem esse, quod arbitraretur fore, vt res Ecclesiasticæ ritè constituerentur, nolle se violentis consilijs interesse: VVormatiæ apparuisse, quàm nihil proficiant violenta consilia, &c. Letale vulnus hic ne sentis Carole? (inquit Eobanus scripto epicedio ad funus Mercurini.) Nemo tuæ melior, te Principe, præfuit aulæ, meliusq; rebus nemo consuluit tuis.

Tandem post longam expe tionem Cæsar XV. Iunij magna cum pompa Augustam ingreditur, & primum postulatum per Ferdinandum Regem Electori Saxoniæ & socijs proponit de abrogandis concionibus. Petunt nostri, clementius agi secum, & audiri se prius, quàm cohiberi. Ferdinandus

dinandus præsente Cæsare respondet, sic decretum esse, & omnes preces alias iam irritas esse. Hoc audito Georgius Marchio Brandenburgicus pio zelo excandescens & manum collo admouens, inquit: Antequam Deum meum & sacrosanctum eius Euangelium abnegem, hic coram Maiestate vestra procumbam, & caput abscindendum carnifici porrigam: ad quæ verba Cæsar dextrâ sua clementissimè palpans Marchionem, respondet, **Leuer Fürst/ nit kop ab/ nit kop ab**/ mi Princeps, non hoc agitur, vt cuiquam vita eripiatur. Fuit hic paroxysmus primus valde difficilis, quem Marchio Georgius sæpe multis lacrymis effusis commemorare solitus fuit. Nostri petunt spatium deliberandi, & vix impetrant triduum. Elector Saxoniæ solicitus ad socios ait, **Ehe ich mir wil das predigen verbieten lassen/ ehe wil ich mich des Landes vertreiben lassen/** prius expellar, quàm conciones abrogari mihi permittam. VVolfgangus Princeps Anhaldinus inquit, sæpe equum iuuenis conscendi, vt alijs gratificarer, cur igitur, si res ita postulat, non conscendam equum, vt Christo seruatori meo seruiam? Ioachimus Brandenburgensis Elector, & Georgius Saxonum Dux plurimum solicitant, lactantq; simul & terrefaciunt Georgium Marchionem promissionibus & comminationibus, sed frustrà. Cæsar à proposito desistere nolens, incipit commoueri indignatione. Deliguntur intercessores, & proponitur medium, quo vtriusq; partis concionatoribus prædicandi munere ad tempus interdicatur, & Cæsar constituat ministros verbi, qui nudum Euangelij & Epistolæ textum, absq; longiore explicatione, tantum addita publicæ confessionis & absolutionis formula, prælegant: id quod Pontificios concionatores, præsertim Fabrum Viennensem, qui iam in Lutheranos debacchari publicè ceperat, pessimè habuit.

Cæsar hoc paroxysmo superato præbet se benignissimum, & maximè solicitum de concordia religionis sanciendа. Ad Pontificios aliquot Principes conantes eum reddere infensum nostris ait, vtraque parte audita secundum

æquitatem se agere velle. Ad eos, qui munera afferunt nomine Capituli Augustani, vt vocant, Respondet non sine gemitu per Episcopum Hildeshemium Balthasarem, se petere, vt Omnipotentis Dei misericordiam ardenter implorent, & pro se misero peccatore instent orando, vt spiritu sancto in his arduis negocijs ad diuini nominis gloriam, & Verbi Dei propagationem, ac boni & laudabilis in Ecclesia ordinis constitutioné & conseruationem doceatur & regatur ita, vt faciat ea, quibus Deus non offendatur, multo minus iritetur. Hæc oratio multis audientibus lacrymas exprimit. Legitur quoque (quod & ipsum indicandum est) hoc in more habuisse Carolum, vt singulis diebus in peculiari conclaui solus ac veste talari tectus, precibus dicendis integram horam tribueret. Et vidi puer habuiq; in manibus aliquoties libellum precationum, quo vteretur quotidie, in templo, ita digitis & vsu attritum, vt interdum scriptura vix dignosci posset, quem tamen è suis manibus dimittere nolebat.

Audiui etiam Philippum sæpe dicentem, Carolum tanta felicitate & tot victorijs diuinitus donatum fuisse, quód diligenter & ardenter orauerit, & se & res suas Deo commendârit. Porrò Pontificij nec Cæsaris præsentiam, nec Electoris Saxoniæ obædientiam æquo animo ferentes, & concionum suarum abrogationem indignissimè accipientes, multis modis Cæsaris animum ad consilia alia Lutheranis aduersa & perniciosa permouere conantur. Militibus octingentis, quos Cæsar constituit, inter cætera militaria Sacramenta, etiam hoc imponitur, vt iurent, ne Lutherani sint aut fiant. Capitanei soliciti de militari disciplina, Cæsarem rogant, vt impediat istud iuramentum, ne prætextu Lutheranismi multæ cædes perpetrentur. Huic petitioni Cæsar statim satisfacit, addita indignabunda oratione, weren die Pfaffen from / so dürfften sie keines Luthers / si pietas inesset sacerdotali ordini Pontificio, non opus esset Lutheri operâ.

Vicesimo Iunij fit initium actionis, celebrata Missa ingenti Cantorum clamore, ad quem aduenisset Spiritus sanctus,

ctus, nisi Episcopi vehiculum eius, id est, verbum Dei abstulissent, vt D. Brentius dixerat. In medio orationem habet Vincentius Pimpinellus Italus de Turcarum victorijs impediendis, de Caesaris virtutibus & fortunis, de Germanorum fidelitate antiqua, nunc defectione, & duricie tanta, vt nec clauiger Petrus corda ipsorum marmorea aperire & mouere valeat, & Paulum ensiferum ea incidere, & ad Romanam Ecclesiam reducere debere. Hac vehementia orationis etiam Archiepiscopus Moguntinus Missam celebrans, admodum offenditur.

In Curia fit propositio per Fridericum Palatinum de extrema necessitate contribuendi, & de durabili apparatu aduersus Turcas, & de causa Religionis, commodisq; ineundis rationibus, quae ad constituendam Concordiam faciant. Postridie instituitur deliberatio, de religione primum agendum esse. Imperator iubet Electorem Saxoniae & socios confessionem fidei suae scripto summatim comprehensam, & rationes, quibus abusus in Ecclesia emendari posse statuant, sibi exhiberi. Ea de re ipse Elector Iohannes ad Lutherum ita scribit: Nos 24. Iunij die, qui memoriae Iohannis Baptistae dicatus & sacer fuit, cum socijs in religione coniunctis, coram Caesarea Maiestate, Vngariae & Bohemiae Rege Ferdinando, ac omnibus Electoribus & Principibus, fidei nostrae Confessionem Germanicè recitaturi, ac Latino scripto comprehensam Caesareae Maiestati subiectissimè exhibituri, in Praetorio reuerenter comparuimus: sed publicam fidei nostrae praelectionem eo die impetrare & obtinere non potuimus, Rege Ferdinando cum aduersaria parte, magno conatu illud impediente. Caesar tamen nobis bonam spem fecit, se hodie doctrinae nostrae summam, non quidem publicè, sed priuatim in palatio suo auditurum esse, quod in hunc finem factitatum esse facile crediderimus, ne magna hominum multitudo recitationi illi interesse posit. Deus Opt. Max. faciat, vt omnes nostri conatus & labores ad nominis sui diuini gloriam cedant, quod vt te precibus tuis serio & ardenter à Deo petere scimus, ita in posterum idem

facturum

factum etiam ſine noſtra cohortatione, certò confidimus.

XXV. die Iunij circiter tertiam pomeridianam in palatio Cæſaris, conuenientibus Ferdinando, Electoribus, Principibus & ſtatibus Imperij, Elector Saxoniæ Iohannes cum filio Iohanne Friderico, Georgius Marchio Brandenburgenſis, Franciſcus & Erneſtus Duces Luneburgenſes, Philippus Landgrauius Haſsiæ, VVolfgangus Anhaldinus, reſpublica Noribergenſis, & Reutlinga, Confeſsionem doctrinæ & fidei ſuæ Chriſtianæ apertam, & manuum ſuarum ſubſcriptione conteſtatam & aſſertam, Imperatori, Regi, & toti Imperio ſuppliciter & reuerenter offerunt. Legit illam clara & graui voce D. Chriſtianus Beier Electoris Cancellarius, ita, vt & in palatio, & in area aulæ Epiſcopi Auguſtani audiri poſſet. Et cum inter legendum ad hæc verba perueniſſet, (Archiepiſcopus Moguntinus ante annos quadringentos publicaturus edictum Romani Pontificis de cælibatu ſacerdotum, pene per tumultum ab iratis ſacerdotibus oppreſſus fuit) rogat Ferdinandus Moguntinum, num ea ſe ita habeant, cui ille, ita, inquit, vt lectum eſt. Perlectæ Confeſsionis exempla duo, vnum Latinum, alterum Germanicum, dum Doctor Pontanus Iuriſconſultus præſtantiſsimus, Senior Cancellarius Electoris, Secretario Imperatoris Alexandro Schvveiſs, vt is illa Moguntino tradat, exhibere vult, ipſe Cæſar manu ſua apprehendit eadem, & Latinum ad ſe recipit, ac per Palatinum Fridericum reſpondet, Se de toto negocio ſuſcepturum eſſe & cogitationem & deliberationem diligentem & accuratam. Pontanus autem animo magno ad Imperatorem & Principes conuerſus ait: Deo & Domino noſtro Ieſu Chriſto defenſore, hæc Confeſſio etiam contra inferorum portas inuicta manebit in perpetuum.

Inter recitandum, geſtus Principum Pontificiorum varij & mirabiles fuerunt. At VVilhelmus Bauariæ Dux humaniſsimè allocutus fuit Electorem Saxoniæ, laudans Confeſsionis dexteritatem, & in hoſpitium reuerſus dixit, lon-

gē diuerſa, atq; res ipſa probauit, ad ſe de Lutheranorum doctrina, fuiſſe relata. Eccium quoque compellauit de iniuria illata Lutheranorum doctrinæ, qui propterea iritatus ad Ingolſtadienſes ſcripſit, ac conqueſtus fuit, cauſam non agi pro ſua voluntate, & etiam Epiſcopos numero ſex Lutherizare. Et cum viginti & vnus Theologi Pontificij, qui adſuerunt, & quorum nomina adſcribere libet (Doctor Iohannes Eccius, Iohan. Faber præpoſitus Budenſis & coadiutor, qui poſtea donatus eſt Epiſcopatu Viennenſi, Auguſtinus Marius Epiſcopus Salonenſis, Conradus VVimpina Ordinarius Francofordenſis ad Oderam, Iohan Coclæus Ducis Georgij Saxoniæ concionator, à patria VVendelſtein pago ad Noribergam ſito ita dictus, Paulus Hugo prouincialis prædicatorum: Andreas Stoſſe prouincialis Carmelitarum: Conradus Colle ſiue Colinus inquiſitor & Prior Colonienſis, qui contra Lutheri nuptias ſcripſit: Bartholomæus Vtingen vel Vſingius Auguſtinianus apud Epiſcopum Herbipolenſem: Conradus Thoman Ratisbonenſis concionator: Iohan Menſingeus ordinis prædicatorum apud Electorem Brandenburgicum: Iohan Duetenberger Prior Confluentinus: Iohan Burckhardi Vicarius ordinis Prædicatorum: Petrus Speiſer ſuffraganeus & Vicarius Epiſcopi Conſtantienſis: Arnoldus VVeſelius Colonienſis: Frater Medardus Regis Ferdinandi concionator, ordinis Minorum; Auguſtinus à Geterheim Bremenſis: VVolfgangus Rebdorffer præpoſitus Stendalienſis: Hieronymus Montinus ſuffraganeus Patauienſis: Matthias Kretz concionator Auguſtanus: Frater Michaël prædicatorij ordinis Moguntiæ) cum inquam hi interrogarentur, à ſuo quis quæ magiſtratu, & tandem coniunctim, num Confeſsio Saxonum (ita enim tunc illa nominabatur) refutari poſſet veris & ſolidis fundamentis & argumentis, reſponderunt vnanimiter, Propheticis & Apoſtolicis ſcriptis refutari illam minimè poſſe, opus autem eſſe Patrum & Conciliorum arietibus & decretis ad illius confutationem. Epiſcopus Auguſtanus Chriſtophorus Stadius, ſiue à Stain in priuatis colloquijs hanc

vocem

vocem edidit: Illa quæ recitata sunt, vera sunt, sunt pura veritas, non possumus inficiari. Et Pontificios Principes & Episcopos monuit, vt piè & prudenter in hac causa agerent, quandoquidem Lutherani nihil docerent, quod non cum articulis fidei congrueret, idcirco magis de Cōcordia ineunda, quàm de bello cogitandum esse. Huic Saltzburgensis Episcopus respondit, mirari se ipsius nouam religionem & sanctimoniam, qui antea longè alius fuerit: velle quidem & se Missam reformari, & libertatem in cibis & alijs traditionibus permitti, sed non ferendum esse, vt Monachus fiat reformator, & pacem turbet. Augustanus rursum: Scio, inquit, me multipliciter deliquisse, & doleo, ac tempus esse video desistendi à peccatis enormibus nostris, quorum tu quoq; tibi probè conscius es: oro autem Deum, vt mei misereatur, & custodiat me, ne peccata peccatis, præsertim condemnatione innocentum augeam, & ne veritati cœlesti, siue à monacho, siue ab alijs demonstratæ me opponam. Ad hoc Elector Brandenburgicus exclamat, Non verum dici, quod Lutherani contra nullum fidei articulum quidquam doceant, siquidem negent hunc articulum, Credo Ecclesiam Catholicam, sanctorum inuocationem. Augustanus, sanctorum Communionem, non inuocationem in symbolo contineri ostendit, & Lutheranos de Catholica Ecclesia rectè sentire & docere, ac tantummodo abusus & errores Ecclesiæ Romanæ taxare, quorum non pauci, sed nimis multi & crassi sint. Moguntinus eos ad pacem admonens, certamen ferè ad verbera progressum diremit. Idem Eccium suo more causam Euangelij iam diu damnatam esse, vociferantem, immodestiæ increpauit & accusauit, conquestusq; est de pertinacia suorum, & morbum finxit, ne sanguinarijs consilijs interesset. Ad Fabrum Augustanus etiam inquit, Vos nebulones iam stertitis, & parum ducitis, si in sanguine nostro maderemus & periremus: an non sentitis, rusticos nostros fore occisores nostros, si res hæc in actum deducenda sit & propalanda? Alphonsus Cæsaris Cancellarius Hispanicus ad Melanthonem inquit, Longè aliter, Philip-

pe, im

pe, in Hiſpanijs de vobis fama tulit, quam ex Confeſsione veſtra intelleximus: multi nobis perſuaſerunt, vos negare Trinitatem, de Chriſto & Maria impiè loqui, Sacramenta corrumpere, Cœnam Dominicã conuiuij profani more adminiſtrare magiſtratum contemnere, libidines ſtabilire, &c: Ioachimo Brandenburgico de Lutheranis penitus extirpandis multa locuto reſpondit Hermannus à Vvida Archiepiſcopus Colonienſis pientiſsimus, ſe contra apertũ verbum Dei nec velle nec debere vel minimum quidquam tentare, ad publica verò crimina, quibus Germania exuberet, tollenda, omnem operam libentiſsimè impenſurum eſſe. Alius Princeps Pontificius in hæc verba publicè erupit: Lutheranæ factionis viri iam Cæſari Confeſsionem atramento conſcriptam exhibuerunt: ego ſi Cæſar eſſem, redderem eis confutationem rubrica pictam, id eſt, ſanguine ipſorum madentem. Huic ex tempore alius quidam Princeps reſpondit: Hoc ſi Cæſar faceret, metuendum eſſet ei, ne rubrica, Chalciti, minio, & cinnabrio faciem aſpergendo & oculos perſtringendo læderet & deformaret. Henricus Dux Brunſvvicenſis Philippum ad conuiuium inuitans dixit, ſe non poſſe negare articulos de vtraque ſpecie, coniugio ſacerdotum, & indifferentia ciborum.

Hæc dum agitantur, poſtulant aduerſarij ne Cæſar patiatur aliquid Confeſsionis proteſtantium euulgari aut typis procudi. Cæſar verò per Alphonſum Valdeſium & Alexandrum Schvveiſs ſecretarium iubet transferri & conuerti Confeſsionem in Hiſpanicam & Italicam linguam, & mitti Italicam verſionem Pontifici per Campegium Legatum. Gallici quoq;, Portugalenſes, Britannici, & aliorum Regum & Principum Legati, eandem in ſuæ gentis idioma quiſque transferri, & ad dominos ſuos mitti iubent. Hac ratione Confeſsio Latinè, Germanicè, Italicè, Hiſpanicè, Gallicè, Anglicè, Belgicè ferè per totum orbem ſimul eodem tempore diſſeminata eſt.

Tanta eſt verbi Dei efficacia & virtus (inquit Lutherus noſter) vt quò plus perſecutionis habet, eò plus floreat ac

crescat. Considerate Comitia Augustana, quæ verè sunt vltima tuba ante extremum diem: quàm æstuabat tum totus mundus contra verbum Dei: quàm nobis orandum erat, vt Christus ipse in cœlis tutus esset à Pontificijs: tandem nostra doctrina & fides ita prodijt in lucem per Confessionem nostram, vt breuissimo tempore, mandato etiam Cæsaris, ad omnes Reges & Principes mitteretur, vbi multa clarissima ingenia in aulis fuerunt, quæ hanc doctrinam ceu fomes statim apprehenderunt, & postea vbique accenderunt. Ita nostra Confessio & Apologia cum summa gloria est edita, &c: Et ad Electorem Saxoniæ scribens inquit Lutherus: Per scriptam Confessionem Cæsari exhibitam, plus prædicata & latius propagata est doctrinæ veritas, quàm decem concionatores facere potuissent. Hi tacere coguntur: prodit autem Elector Saxoniæ, & cæteri Principes ac Domini cum scripta Confessione,& concionantur liberrimè coram Cæsarea Maiestate & toto Imperio in omnium conspectu, vt audire cogantur, nec contradicere quicquam possint. Scilicet interdictum de intermittendis concionibus non inultum abijt. Etiamsi insaniant, tamen plus ex Confessione audiuerunt, quàm si totum annum concionatores audiuissent. Si in suggestis prohibetur verbum Dei, tum in palatijs Regum illud audiri oportet. Si miseris concionatoribus illud prædicare non conceditur, tum magnos Principes & Dominos prædicare necesse est. Et in summa, si omnia tacent, lapides clamabunt, inquit Christus ipse. Idem ad Cordatum: Mihi placet in hanc horam vixisse, qua Christus per suos tantos Confessores in tanto consessu,publicè est prædicatus,Confessione planè pulcherrima, qua impletur dictum: Loquebar de testimonijs tuis in conspectu Regum. Implebitur & id quod sequitur: Et non confundebar: quia qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & Ego eum coram Patre meo cœlesti. Sic dicit, qui non mentitur, &c. VIII.

Cum autem de Confessione exhibita in Senatu Principum, deliberationes instituerentur, triplices sententiæ latæ fue- 8. Ianuarij. 1581.

tæ fuerunt: prima, vt vi delerentur, aut ad minimum cogerentur ad obædientiam Lutherani: secunda vt Confeſsio aliquot Viris doctis iudicanda traderetur, & poſtea penes Cæſarem eſſet dijudicatio & pronunciatio: tertia, vt refutatio Confeſsionis adornata, Electori Saxoniæ & coniunctis recitaretur, & deinde tota cauſa iudicio Cæſaris permitteretur, qui omnia in integrum reſtitui iuberet, donec controuerſiæ in Concilio legitimè cognoſcerentur, componerentur, & aufferrentur. Hæc tertia ſententia plurimis votis & ſuffragijs optima viſa fuit. Antequam autem confutatio à Pontificijs apparatur, Cæſar iubet interrogari Electorem, an cum ſocijs acquieſcere in articulis exhibitis, an verò plures articulos proponere velit. Ad hanc quæſtionem, deliberatione accuratè inſtituta, reſpondetur de perpetua & conſtante ſententia in Confeſsione ſemel oblata. Paulo poſt Theologi Pontificij confutationem Confeſsionis cum magno aceruo librorum contra Lutherum ſcriptorum, Cæſari exhibent, cum inſcriptione: I. Catholica & quaſi extemporaria reſponſio ſuper nonnullis articulis, Catholicæ Cæſareæ Maieſtati, hiſce proximis diebus in dieta Imperiali Auguſtenſi per Illuſtriſſ. Electorem Saxoniæ, & alios quoſdam Principes & duas ciuitates oblatis foliorum 106. 2. Antilogiarum, id eſt, contradictionum Martini Lutheri Babylonia, ex eiuſdem apoſtatæ libris, per D. Iohannem Fabri excerpta. fol. 36. 3. Hæreſes & errores ex diuerſis Lutheri libris in vnum collecti. fol. 61. 4. Hæreſes in ſacris Concilijs antea damnatæ, per Lutheranos iterum ab inferis reductæ. 14. 5. Hæreſes & errores Lutheri per Leonem fol. X. Pontificem ante decennium condemnati. fol. 4. 6. Hæreſes & errores Lutheri ante ſeptem annos per Vniuerſitatem Pariſienſem condemnati. fol. 12. 7. Condemnatio facultatis Theologicæ Louanienſis. fol. 12. 8. Epitome aliquot hæreſium & errorum Lutheri, fol. 12. 9. Monſtra ſectarum ex Luthero & Lutheranis enata. fol. 12. 10. Lutherani Euangelij abominabiles, nimiumq; pernicioſi, & damnatiſsimi fructus. fol. 12.

Hæc confutatio cum nimis prolixa, acris, mordax, virulenta & ſpinoſa eſſet, Cæſaris mandato contrahitur & mitigatur: vnde iocus cuiuſdam Principis: Doctores Pontificij volentes oſculari pedes Cæſaris, retrogredi iuſsi ſunt.

Elector octiduo poſt exhibitam Confeſsionem petit feudum, vt vocant, Electoratus Saxoniæ & reliquarum ditionum ſuarum, autoritate Cæſarea ſolenni more Imperij confirmari. Cæſar reſpondet, ſe feudum ipſi conferre non poſſe, niſi abiecta noua doctrina diſſentiente à Catholica Eccleſia, ad Romanæ Eccleſiæ ſinum redeat. Elector ſe doctrinam Euangelij, quam ſemel ſit amplexus, omnibus rebus humanis anteferre teſtatur, & ſcripto exponit. Idem facit Georgius Marchio Brandenburgicus, cui Cæſar, ſe ei tutelam Alberti filij Caſimiri fratris ſui ademturum eſſe minatur. Lutherus in his turbis Coburgo mittit παράκλησιν, admonitionem grauiſsimam ad Epiſcopos & id genus alios proceres Auguſtæ congregatos, recitans & refutans errores & abuſus manifeſtos Romanæ Eccleſiæ, & admonens eos officij & rationis olim reddendæ ad tribunal Chriſti. Eam admonitionem Epiſcopus Auguſtanus in ſenatu Principum prælegit, ſed parum proficit. Conſolatur Lutherus etiam ipſum Electorem, & ad Pontanum Cancellarium hæc verba repetitione & memoria perenni digniſsima ſcribit: Deus noſtri obliuiſci non poteſt, niſi ſui ipſius primum obliuiſcatur, aut noſtra cauſa non ſit ipſius cauſa, & noſtra doctrina non ſit ipſius verbum & doctrina. Si certi ſumus, ipſius negotium & verbum eſſe, quod profitemur, certiſsimum eſt, preces noſtras iam exauditas, & de præſente ope nobis ferenda, iam dudum in cœlo deliberatum atque concluſum eſſe. Id aliter eſſe nequit. En, Duo miracula nuper vidi, cum è feneſtra proſpicerem, intuens ſtellas, & totam illam venuſtiſsimam concamerationem cœli à Deo conditam, nec vſpiam viderem pilas & columnas, quibus fornicem adeò amplum architectus impoſuiſſet. Tamen non corruit cœlum, ſed firmum & immotum perſiſtit. Sunt autem aliqui, ſolicitè quærentes pilas, quibus cœlum innititur, eaſq; manibus contrectare vehementer cupiunt.

Cum verò id non posſint, toto pectore anguntur & tremunt, metuentes ne cœlum corruat, non aliam ob cauſam, quàm quòd pilas & columnas, quibus innititur cœlum, prehendere & videre ipſi nequeunt. Si comprehendere manibus pilas poſsint, tum firmiter cœlum ſtare poſſe non dubitarent. Alterum miraculum eſt: Videbam magnas ac denſas nubes capitibus noſtris tanta mole impendentes, vt immenſo mari verè comparari poſſent. Nec tamen ſolum, cui incumberent, aut vaſa, quibus continerentur, cernere potui. Nihil ominus tamen in nos non deciderunt, ſed velut toruo vultu nos ſalutantes celeriter diffugerunt. Cum autem præterijſſent, eluxit ſtatim fundus & tectum noſtrum, cui incubuerant, Iris videlicet: infirmum ſanè, & perquam tenue fundamentum ac tectum, & in nubibus euaneſcens: quodq; verius ſplendorem obſcurum, qualis per vitrum pictum elucere ſolet, quàm tantum fundum repræſentaret, & non minorem, quàm ipſa nubium moles, nobis deſperandi cauſam adferret. Interim tamen re ipſa comperiebamus, illam, vt apparebat, inanem vmbram lucis, tantas aquarum moles ſuſtinere & nos protegere. Et tamen aliqui vndarum ac nubium ſpiſsitudinem & molem pluris faciunt & metuunt, quàm hanc tenuem, exilem & leuem vmbram. Cupiunt enim manibus palpare & ſentire vim & efficaciam huius vmbræ, quod cum nequeant, timent nubem ruptam perpetuum diluuium parituram eſſe. De his familiariter vobiſcum iocari, & tamen ſine ioco ſcribere volui. Noſtra Iris imbecilla, ſed hoſtium nubes præpotens eſt. At in fine videbitur cuius toni.

Dilata porrò publicatione confutationis Pontificiæ in ſextam vſque ſeptimanam poſt oblatam Confeſsionem, Philippus valde moleſtatus & velut Aaron Moſe ſuo deſtitutus conijcitur in puſillanimitatem periculoſam.

Campegius & alij in aula Imperatoris non infimi, fremendo, Imperatoris & Principum non paucorum animos tam dilucida veræ doctrinæ expoſitione doceri, leniri, flecti, clamitant, Cæſarem vel regna omnia ſua in diſcrimen

ponere potius debere, quàm Confeſsionis progreſſum ferre, & vi opprimendos eſſe Lutheranos. Accerſitur Philippus in ſynedrion Pontificium. Campegius Cardinalis horrenda fulmina iratiſsimi & ſæuiſsimi Iouis ſui vibrat, & num cedere velit Philippus, quærit. Ille, non poſſumus, inquit, veritatem deſerere, oramus autem propter Deum & Christum, vt nobiſcum diſpenſetur, id eſt, concedantur nobis ea, quæ bona conſcientia relinquere non poſſumus. Huic Campegius, Non poſſum, exclamans reſpondet, non poſſum, claue non errante. Ad hoc tonitru Philippus ait: Deo & cauſam & nos committimus: ſi Deus pro nobis, quis contra nos? Quidquid erit, ſuperanda omnis fortuna ferendo eſt. Habemus iam in noſtris regionibus tot miſerorum parochorum & miniſtrorum Eccleſiarum coniuges & liberos, qui vel quadraginta millium numerum ſuperant, tot animas propter impurum celibatum ſacerdotum deſerere non poſſumus: faciemus igitur, qood poterimus, auxilium petituri à Filio Dei, cuius hæc cauſa eſt, & moriemur potius, ſi Deus voluerit, quàm vt tot animæ à nobis prodantur. Saltzburgenſis Epiſcopus Matthæus Lang, Res, ait, eô deducta eſt, vt partem vnam ab altera deleri neceſſe ſit. Cæſar enim conturbationem publicam non feret, ac Conſcientiæ prætextum non admittet. Philippus reſpondet, Fiat voluntas Domini protecturi partem ſuam.

In hac fluctuatione etiam animus Philippi fluctuare & trepidare incipit, ita, vt Lutheri conſilio, increpatione, admonitione, & ſeueritate paterna opus ſit, quæ ex his verbis conſpici poteſt: Quid ad te potiſsimum ſcribam, mi Philippe, planè ignoro: ita reuerberant me cogitationes de tuis peſsimis vaniſque curis, vt qui ſciam, ſurdo fabulam narrari. Hoc facit, quod tibi ſoli credis, Mihi & alijs non credis, magno tuo malo. Ego verum fatebor. Fui in maioribus anguſtijs, quàm tu vnquam futurus ſis. Spero, optoq; nulli hominum, ne iſtis quidem, qui iam ita ſæui ſunt in nos, quantumuis ſint ſcelerati & nefarij, vt mihi ſimiles fiant. Et tamen in ijs malis

sæpe leuatus sum verbo fratris, aliquando Pomerani, aliquando tuo, aliquando Ionæ, aliquando aliorum. Quare ergo & tu vicissim non etiam nos audis, qui certè nihil secundum carnem aut mundum, sed secundum Deum, absq; dubio, per spiritum sanctum loquimur. Simus nos viles, ne vilis sit quæso, qui per nos loquitur. Sols denn erlogen sein / das Gott seinen Son für vns gegeben hat / so sey der Teuffel an meiner stat ein Mensch / oder eine seiner Creatur. Ists aber war / was machen wir doch mit vnserm leiden / fürchten / zagen / sorgen vnd trawren? Quasi nolit ille in rebus leuioribus adesse, qui filium dederit, aut quasi Sathan sit potentior ipso. Ego in priuatis luctis infirmior, tu autem fortior. Contra in publicis tu talis, qualis ego in priuatis (si priuatum dici debet, quod geritur inter me & Sathanam.) Nam tu vitam tuam contemnis, publicæ causæ metuis. Ego verò de publica causa satis magno & otioso sum animo, qui sciam certò, ipsam esse iustam & veram, deniq; ipsius Christi & Dei, quæ non sic pallet rea peccati, sicut ego priuatus sanctulus pallere & tremere cogor. Proinde pene securus spectator sum; & istos minaces & feroces Papistas non huius facio. Si nos ruemus, ruet Christus vnà, scilicet ille regnator mundi. Et esto, ruat, malo ego cum Christo ruere, quàm cum Cæsare stare. Neq; vos soli hanc causam sustinetis, certè fideliter vobis gemitibus & precibus adsum. Vtinam & carne liceret, nam & mea est causa, atq; adeo plus mea, quàm omnium vestrum, neq; vlla temeritate aut cupiditate vel gloriæ, vel lucri tentata, quod testatur mihi spiritus ipse & hactenus res satis declarauit, declarabitq; latius vsq; in finem. Quare te per Christum oro, ne ita negligas promissa & solatia illa diuina, vbi dicit: Iacta curam tuam super Dominum. Expecta Dominum, viriliter age, & confortetur cor tuum, & quorum liber plenus est Psalmorum & Euangeliorum. Confidite, ego vici mundum. Es wird ja nicht falsch sein / das weis ich vorwar / Quod Christus sit victor mundi. Quid ergo victum

ctum sic formidamus, quasi victorem? Solt einer doch einen solchen Spruch von Rom vnd Jerusalem auff seinen knien holen. Sed copia & assiduitate & familiaritate vilescũt nobis. Das ist aber nicht gut / Scio: imbecillitas est fidei. At oremus cum Apostolis: Auge nobis fidem Domine. Saltzburgensi Tyranno reddet etiam secundum sua opera DEVS, qui te sic cruciauit. At merebatur à te aliud responsum, quale ego fortasse dedissem ei, Wolan last sie machen / sie haben noch nicht ausgemacht. Quærunt (metuo) audire vocem illam Iulij Cæsaris: Hoc voluerunt. Sed frustra hæc scribo, quia tu secundum Philosophiam vestram has res ratione regere, hoc est, vt ille ait, cum ratione insanire pergis & occidis teipsum, nec vides prorsus extra manum tuam & consilium, causam positã, etiam extra curam tuam, velle agi, & Christus prohibeat, ne in tuum consilium aut manum (quod tamen pertinaciter velis) veniat. Tum verò pulchrè & subitò perierimus, sed, es heist / Altiora te ne quæsieris. Et scrutator Maiestatis opprimetur à gloria: Seu, vt Hebreus habet: Scrutans grauiora grauatur. Hoc ad te pertinet. Dominus Iesus seruet te, ne deficiat fides tua, sed crescat & vincat. Amen. Ego pro te oro, oraui & orabo, nec dubito, quin sim exauditus. Sentio enim illud Amen in corde meo: si non fiet id, quod volumus, fiet tamen quod melius est. Nam nos regnum futurum expectamus, vbi omnia fefellerint in mundo, &c.

Petit à Luthero & Iustus Ionas, vt ille Philippi pectus suis precibus & consolationibus erigat. Ad Philippum, inquit, vellem dares creberrimas literas, mirabili enim tristitia, nimiumq; ob publicam causam afficitur. Nos hortamur, vt arrepto Psalterio Dauidicis verbis, alienis verbis, non suis loquatur de hac tanta causa, cum Deo: sed vincit affectus. Ego, Dominus nouit, vitam me tibi debere profiteor pro tuo PSALTERIO, adeo nihil consolationis

„ habeo in his agonibus varijs, quàm tuũ CATECHISMVM,
„ vbi domi DEVM meum esse mihi annuncias, & aureos
„ PSALMOS, quos, Christo sit gratia, nos intelligimus, & aduersarij iam cæci ignorant, vt commiseratione potius digni sint, quàm odio.

Huic petitioni Lutherus satisfacit,& creberrimas literas scribit, quibus imbecille pectus Philippi solatur & erigit. Causa, inquit, non est nostra: magnus est autor & actor eius: Cur igitur sic perpetuo sine respiratione te maceras? si est causa falsa, reuocemus: si vera est, cur facimus illum in tantis promissis mendacem, qui iubet nos animo esse ocioso & dormiente? Iacta, inquit, curam tuam super Dominum, omnibus, qui inuocant eum. Num ista in ventum loquitur, aut ad bestias proijcit? Ego etiam sæpius concutior, sed non perpetuò. Philosophia tua te ita vexat: non Theologia: ea quæ & Iochimum tuum, qui mihi simili cura rodi videtur: quasi verò ista inutili cura quicquam efficere possitis. Was kan der Teuffel mehr thun/ denn das er vns tödte? Obsecto te, qui in omnibus alijs pugnax es, luctare contra te ipsum, maximum hostem tuum, qui Satanæ tantum armorum contra te ministras. Finis & euentus causæ te discrutiat, quia non potes eum comprehendere: at si eum comprehendere posses, nollem ego istius causæ me esse participem, multo minus autorem. DEVS posuit eam in locum quendam communem, quem tu in tua Rhetorica & Philosophia non habes. Is vocatur Fides, in quo loco omnia posita sunt, τὰ ἐλπιζόμενα, καὶ μὴ φαινόμενα: quæ si quis conetur reddere visibilia, apparentia, & comprehensibilia, sicut facis tu, is referat curas & lacrymas pro mercede laboris, quales tu refers, nobis omnibus frustra reclamantibus. Dominus pollicitus est se habere in nebula & tenebras posuit latibulum suum. Wer da wil/ der mache es anders. Si Moses comprehendere studuisset finem, quo euaderet exercitum Pharaonis Israel, adhuc hodie fortasis esset in Aegypto. Dominus adaugeat

tibi

tibi & nobis omnibus fidem: hac habita, quid faciet Satan cum toto mundo? Quod si nos non habemus fidem, cur non saltem aliena fide nos solamur? Sunt enim necessariò alij, qui credunt, nisi nulla est amplius Ecclesia in mundo, & Christus desijt esse nobiscum ante consummationem seculi. Si enim nobiscum non est, obsecro vbi est in toto mundo? Si nos Ecclesia vel pars Ecclesiæ non sumus, vbi est Ecclesia? si nos non habemus verbum Dei, qui sunt, qui habent? Si ergo Deus nobiscum, quis contra nos? Peccatores sumus & ingrati, sed non ideo ille mendax erit: neque tamen possumus esse peccatores in ista sancta & diuina causa, etiamsi in nostris vijs mali sumus. Sed tu non audis ista. Ita Satan te affligit, & ægrotare facit. Medeatur tibi Christus, quod valde & assiduè oro. Opto mihi dari occasionem accedendi ad vos, quanquam ardeo non vocatus venire.

Idem ad Spalatinum: Scio & certus sum, cui credo, quia potens est facere supra quod petimus & intelligimus. Etiamsi Philippus cogitet & cupiat eum facere infra & intra suum consilium, vt liceret ei gloriari, Certè sic oportuit fieri, sic fecissem ego. Nein/es mus nicht heissen/ Sic ego Philippus. Das Ego ist zu gering. Es heist sic Ego ero qui ero. Hoc est nomen, Qui ero. Man sihet nicht/ wer es ist. Aber er wirds sein/ da werden wir es sehen. Esto fortis in Domino, & Philippum meo nomine exhortare sæpe, ne fiat Deus, sed pugnet contra illam innatam, & à Diabolo in Paradiso nobis implantatam ambitionem diuinitatis. Ea enim non expedit nobis. Euam & Adam diuinitas ex Paradiso extrusit: nos quoq; illa sola exturbat & extra pacem trudit. Wir sollen Menschen vnd nicht Gott sein. Das ist die Summa. Es wird doch nicht anders/ oder ist ewige vnruhe vnd hertzleid vnser lohn.

Et ad Ionam: Vtinam Philippus saltem mea fide, si aliam non haberet, crederet, Christum viuere, & sedere non ad dextram Cæsaris (nam sic perijssemus dudum) sed ad dexteram

398

dexteram Dei: nisi fortè sola Augusta Vindelicorum hoc mense Christum per Sacramentarios deiectum, & Dauidem per Papistas correctum viderit: quod nos hic Coburgæ ignoramus: ac si factum est, nobis hoc scribe, tunc ego alium Christum quæram, & alium Dauidem mihi fingam, qui non ita me fallat & ludat in omnibus verbis: sed tacessat locus blasphemus: tu in Christo vale, & crede nobiscu m vt fortis, Christum esse Regum Regem, & Dominum Dominantium. **Verleurt er den Titel zu Augspurg/ so sol er jn im Himmel vnd Erden verloren haben:** id est, nunquam, nusquam & nec in tempore, nec in æternum amittit titulum illum coniunctum cum efficacia omnipotente.

Cum etiam Philippi solicitudo & anxia cura ita crescere, vt de concordia inter partes sancienda laboriosissimè ageret, & ex Luthero & alijs sciscitaretur, de Missis priuatis, de traditionibus humanis bona intentione & ad bonum finem excogitatis; Campegio quoq; conditiones scripto exhiberet, quibus permissis ad obædientiam Pontifici Romano præstandam ipse, collegæ, & Lutherani omnes reuerti possent, ac dispensationem ad connubia spiritualium expeteret, & iurisdictionem Episcopis restituendam esse consuleret, & nescio quid aliud, ortus est rumor conuitijs mulctis, vt fieri solet, onustus de consultationibus Philippi nimium ad Pontificiæ idolatriæ restitutionem propendentibus. Adamus Candidus, cuius mentio facta est supra, flexibilem & cereum illum nominat, habentem zelum pacis præter scientiam. Camerarius de ipso tanquam de anima sua solicitus scribit ad Agricolam, cupiens per eum doceri de rei veritate. Omnium me, inquit, maximè vexat, quod de Missa dicitur suasisse: simplicitatem requiro, qua amissa, conijcimur in maximas turbas, quas etiam debet præuidere homo studiosissimus pacis. Et: Aiunt omninò, si conductus, quanta ipse voluisset pecunia, à Papa esset, nunquam illius Dominationem melius potuisse asserere: Vocant quidam Achitophelica consilia, alij, qui modestiores sunt, Erasmica, &c.

ca, &c. Atq; hæc dum ad partem fiunt, & ſparguntur maxi-
mè, quaſi Lutherani iam omnia prodiderint, & ad pacem
obtinendam plura conceſſuri ſint, Lutherus vnicus Heros
precibus apud Deum efficit, vt aduerſarij ipſi propoſitas à
Philippo conditiones & conceſsiones per Coclæum refutent
& repudient: qua de re ad Doctorem Lincum ſcribit inqui-
ens: Legi tuas grauiſsimas querelas de noſtro Philippo, ſed
Dominus erit nobiſcum: te oro, vt indignationem tuam
ponas. Philippus etſi tractauit forſan aliquas conditiones,
in nullas tamen conſenſum eſt hactenus, nec ipſius quidem
conſenſu, ſed ſpero iſta larua Chriſtum eſſe vſum, vt luderet
noſtros illuſores, ſcilicet falſa ſpe & ficto gaudio eos irrita-
ret, vt nos ceſſuros, ſeſe verò victuros ſomniarent: pòſt au-
tem nihil minus ſentirent, & ſe ipſos irriſos inuenirent: ſic
ego interpretor, ſecurus quod abſq; meo conſenſu conſen-
ſus illorum irritus eſt: at ſi etiam ego, quod Deus auertat,
conſentirem iſtis ſacrilegis, homicidis, & perfidis monſtris,
tamen Eccleſia tota, Euangelijq; doctrina diſſentiret, &c.

Sed nunc quid porrò de Confeſsione exhibita Augu-
ſtæ actum ſit videamus. De Cinglianis laborantibus, vt ad
Confeſsionis ſocietatem admittantur, & ob grauiſsimas
cauſas repulſam patientibus, ſuo tempore peculiariter, Deo
iuuante, monebimus. Vnum hoc adijciam. Dum nolunt
Principes & Theologi noſtri Auguſtæ congregati, Confeſsi-
onem ſuam Cingliana ſocietate deformare, & tamen non
deſunt, qui Heluetiorum doctrinam in negocio publico, tan-
tum in vno articulo, vt ferebatur, à Confeſsione ſincera di-
ſcrepantem, non ſeiungendam eſſe à communi contra aduer-
ſariorum errores coniunctione iudicant, de cōſenſu Electoris
Saxoniæ ablegatur ad Lutherum Martinus Bucerus doc
quidem, præſtans & celebris Theologus, ſed ſemper ambi-
dexter. Pridiè, quam Bucerus adueniat, Lutherus Cobur-
gi veſpertilionem affigit parieti, & globulo emiſſo corcu-
lum eius collimando petit, quod vnà cum iaculo ex veſper-
tilionis corpuſculo extrahit, additis his verbis ad Vitum
Theodoricum, Videbis aliquid portendi, & me cor veſper-

tilionis cuiusdam ad Dei verbum in meridie & clara luce cæcutientis petiturum esse. Postridie veniente Bucero, ecce, inquit Lutherus, Vite, aduolat vespertilio, cuius cor petam. Commodum autem responsum refert Bucerus, ita quidem, vt illinc ad Cinglium & Heluetios iter suscipiens, dicat Lutherum esse paratissimum ad Concordiam, ademtis Cinglianis subtilitatibus & nunquam sibi constantibus imaginationibus, opinionibus, allegorijs, significationibus, & saluo vnius Christi verbo, cui omnis ratio & philosophia submittenda sit. Sed de his aliâs.

Dum Cingliani agunt frustra de impetranda societate & coniunctione cum sanioris doctrinæ & fidei Confessione, Pontificij Theologi interea confutationem Confessionis Cæsari offerunt, quæ in palatio Imperatoris per Alexandrum Schvveiss Secretarium, tertia die mensis Augusti publice prælegitur. Cæsar per Fridericum Palatinum à protestantibus postulat, vt confutationem illam recipiant & approbent. Hi, cum res sit ardua, & pia deliberatione digna, exemplum sibi dari petunt. Cæsar bidui spacio ad deliberandum adhibito respondet, sat esse disputatum, seq; hortari & iubere vt ad Pontificias partes redeant: exemplum tamen polliceri hac lege, ne quid describant, vel alijs legendum exhibeant, multò minus typis edant. Has conditiones ipsis improbantibus, scriptum denegatur. Elector summam Confessionis suæ Cæsari Latinè Germanicè & Gallicè denuo offert & tradit.

Landgrauius Hassiæ mora & indignitate actionum permotus, Legatis relictis, Augusta per locum vrbis secretiorem, qui noctu solum patefieri solet, occultè discedit. Cæsar hunc discessum, se non salutato, molestissimè ferens, Senatui Augustano mandat, ne quenquam per illum locum amplius emittant, & stationes præter morem collocat in portis, ac apud Principes de discessu isto conqueritur. Ii illum excusant per coniugis lethalem inualetudinem: vicissim ipse propter dissidia Germanorum & Hispanorum, à se præsidia collocata esse prætexit, & se nihil esse eiusmodi, quod

quod ad excubias pertinet, facturum, nisi Electorem Saxoniæ vtpote Imperij Marescallum, antè præmoneat, pollicetur: denuò autem iubet Euangelicos redire ad Romanam fidem. Instituitur itaq; noua deliberatio septimo Augusti, vbi quidam Pontificius Princeps erumpit in hanc vocem: Nisi Elector Saxoniæ nouam Lutheri doctrinam abijciat, Cæsarem armata manu ipsum omni dignitate, possessione & vita quoq; priuaturum, & omnes subditos cum vxoribus & liberis in fidem suam adacturum & subiugaturum esse. Hac vehementi oratione Elector territus, & tamen animo diuinitus confirmatus, me & meos Deo, inquit, commendabo, & non timebo, quid faciat mihi homo. Deliguntur etiam alij arbitri, Principes, & Theologi, atq; de Concordia sarcienda agunt, propositis medijs, interdum etiam additis minis: sed frustra aguntur omnia, præsertim cùm de Communione vtriusq; speciei, vt vocant, & de Missa publica & priuata, seu angulari, ac coniugio sacerdotum, & de monasterijs disceptatur.

Perbella autem accidit historia in illo Delectorum colloquio. Eccius pro confirmatione doctrinæ de inuocatione sanctorum dictum, Gen. 48. de nepotibus Iacobi allegat, nempe de Ephraim & Manasse: Inuocetur super pueros istos nomen meum. Philippus explicat dictum piè de adoptione, qua Iacob pronunciat nepotes suos fore hæredes promissæ terræ Chanaan, Politiæ & Ecclesiæ. Brentius interijcit hæc verba, Nullum in tota scriptura extare testimonium de inuocatione sanctorum. Ibi Coclæus, qui vulgò Rotzlöffel dictus fuit, ait, in veteri Testamento ideo nondum fuisse in vsu inuocationem sanctorum, quod sancti nondum ex purgatorio ad cœlos euolassent, sed adhuc in limbo Patrum requieuissent. Hoc acumen & cacumen audiens Iohannes Fridericus Filius Electoris Saxoniæ, conuersus ad Eccium inquit, En habes solutionem ad dictum ex Genesi abs te citatum: Profer plura: tu ais, ille negat. Ita vterq;, Eccius & Coclæus ludibrio & risui exponuntur.

Quidam Philippum compellant hac voce, Vides jam

ferrũ in manu Cæsaris esse qui indies magis & magis irritatur, & irritatus difficulter pacari potest. Et Ionas ad Lutherum de Schoppero Cæsaris Secretario, olim exulis Danorum Regis aulico scribit, eum ne are, Cæsarem Cardinalibus & Episcopis cinctum, aliam probare aut amplecti religionem posse, quàm Papisticam, & agi omnia frustra, quæ ad es molliendum Cæsaris animum suscipiantur. Concordiæ formam à Pontificijs propositam, & à Philippo & Theologis Saxoniæ Electoris, aliquo modo additis conditionibus admissam, Noribergici Theologi prorsus improbant, & scripto refutant. Lutherus fucosas istas pacificationes & conciliationes cum veritatis damno, & sinceræ religionis iactura institutas, se prorsus damnare multis epistolis attestatur. Elector Saxoniæ ex turbis se tandem extricare cupiens & domum cogitans, detinetur ab Imperatore ad quatriduum, & ostendens se aduersarijs cedere amplius non posse, accipit responsum in pleno Principum Senatu, Cæsarem concedere Electori, quinq; Principibus coniunctis (id est, Georgio Brandenburgico, Ernesto & Francisco Luneburgicis, Philippo Landgrauio, & VVolfgango Anhaldino.) & sex ciuitatibus, Noribergæ, Reutlingæ, Campoduno, VVinsheimio, Heilbronnæ & VVeissenburgo, quæ & ipsæ subscripserunt Confessioni exhibitæ, spacium deliberandi vsq; ad XV. diem Aprilis, num redire velint ad Pontificiam religionem, quæ tamen interea omnibus debeat esse libera in ditionibus ipsorum, annexo seuero mandato, ne quid innouent, nihil publicent, neminem cogant, nihil abrogent, neminem impediant in religione Pontificia, Anabaptistas & Sacramentarios non ferant, Concilium expectent, &c. Elector se in exhibita Confessione constanter acquiescere ait, consensu sacræ scripturæ munita, & se quoq; Apologiam illius ad confutationem obiectionum à Pontificijs Theologis scriptam, Cæsari subiectissimo animo, nomine suo & coniunctorum, deferre, & nunc exhibere. Hic cum Apologiam Pontanus Cæsari porrigeret, Fridericus Palatinus eam, subnuente Cæsare, accipiens, mox reddit, insusurrante aliquid

in Cæ-

in Cæſaris aurem Ferdinando. Declarat autem porrò Elector animi ſui ſententiam, quo ad Anabaptiſtas & Sacramentarios, ſe intra ſuos fines nunquam id genus hominum toleraturum. Cæſar rurſum per Electorem Brandenburgicum repetit prius Decretum, addita hac ſeuerißima comminatione, Niſi pareant, fore, vt reliqui ordines omnia Cæſaris cauſa, velint atq; faciant: iamq; data fide factam eſſe promißionem, ſe ei fortunas omnes communicaturos, & ſanguinem ipſum atq; vitam, vt negocio finem optatum imponat: illumq; omne robur & potentiam huc eſſe collaturum, nec prius extra fines Imperij egreſſurum, quàm ad exitum res deducta ſit, ſe vſurum eſſe Pontificis, & exterorum Regum conſilio & adiumento. Elector ſuo et coniunctorum nomine rem totam ſe Deo committere, nec poſſe aliter agere profitetur: purgat ſe de bello ruſticorum, cuius culpam Cæſar in Lutheranos tranſtulerat: læto & alacri animo, exaudientibus omnibus Imperij Ordinibus, quaſi tripudians inquit, ſe certò ſcire, doctrinam in Confeſsione exhibitam tanto ſcripturæ conſenſu eſſe munitam, vt ne portæ inferorum eam oppugnare, & euertere poſsint. Cæſar Electori & cæteris Principibus abeundi poteſtatem facit, Elector verò Moguntinus, Treuirenſis, & Palatini Electorum Legati ſignificant Electori Saxoniæ & Landgrauianis, Brandenburgicum nomine Cæſaris nimium dixiſſe, ſe enim prorſus contrariũ ipſi Cæſari expoſuiſſe, & nihil habere cauſæ aduerſum Principes proteſtantes, nedum vt ad religionis ipſorum oppugnationem conſilium vllum ſuggeſſerint, aut conſenſerint, policeri potius ſe ipſis omnem beneuolentiam & humanitatem. Multi quoq; aulici Cæſaris referunt, orationem iſtam nimis virulentam fuiſſe, præter Cæſaris voluntatem, & nihil metuendum eſſe periculi. His ita geſtis, Elector Saxoniæ Auguſta diſcedit, viceſima tertia die Septembris, cum in quintum vſque menſem ibi perſtitiſſet, relictis poſt ſe Legatis, qui & ipſi decimo tertio die Nouembris cum Philippo gratulante ſibi & alijs liberationem, Iona & Spalatino, Auguſta diſcedentes domum redeunt.

Cæſar ciuitates proteſtantium nomine comprehenſas compellat, & illis, niſi ſuis monitis pareant, bellum minatur. Hæ reſpondent ſe melius ſperare, cum Confeſsio verbo diuino nitatur: quod ſi autem ſibi vis inferatur, incumbere ſibi legitimam defenſionem: petere autem ſe Concilium liberum & generale: & interea pacem.

IX. 12. Ianuarij. Scilicet hic finis Comitiorum fuit, & Confeſsionis Auguſtanæ progreſſus, eo modo, qui proprius eſt veritatis cœleſtis, quæ quô magis premitur, eô fortius inſtar palmæ erigitur & ſuccreſcit, & inter ſpinas ceu roſa vireſcit. Etſi autem exitus videtur eſſe minus optatus, cum Cæſaris indignatio coniuncta cum comminatione atroci in eo appareat; tamen Lutherus precibus ad Deum fuſis animum Imperatoris optimi, abſens diuino ſpiritu flectit & moderatur, vt licet decreta & edicta more Pontificio extorta & compilata videantur dura atq; nimis acerba, tamen Cæſar deprehendat fraudes aduerſariorum, quemadmodum adhuc in ipſis Comitijs, cum D. Pontanus dixiſſet, ſe niti teſtimonijs ſcripturæ, quibus Pontificij prorſus deſtituantur: ideoq; ſe nullarum minarum fulminibus terreri, Optimus Cæſar circumdatus agminibus variorum hominum, cum gemitu & ſuſpirijs hæc verba profert, Ah neceſſe eſt, doctrinam illam, quam Lutherani profitentur, plus habere fundamenti, quàm nos opinamur. Et ad Landgrauium priuatim ait, Cingliani erroris etiam alicuius nimiæ ambitionis ſummi faſtigij ſuſpicione ipſum quidem laboraſſe, ſed iam oblata Confeſsione facile excuſari, quæ cum ſcriptura plurimum conueniat, & tantum de externis quibuſdam rebus eſſe diſſenſiones, in quibus vt vſq; ad Concilium cedere velit, ſe rogare. Doctrinam quoq; de Iuſtificatione hominis coram Deo in Confeſsione explanatam, ita pectori ſuo infigit Imperator, vt & in tota vita ſæpiſsime illam prædicet, & repetat, ac in eadem vitam temporalem tandem finiat. Certe biennio poſt Comitia, Schvvinfurti per Moguntinum & Palatinum proteſtantibus offert pacem, manentibus intra fines Auguſtanæ Confeſsionis, & cum Cinglianis ac Anabaptiſtis nihil commune

haben-

habentibus Ratisbonæ quoq; certam ſpem facit de Concilio vel à Pontifice, vel ſi impetrari ab eo nequeat, in publico Imperij conuentu, decernendo. Paulo poſt Elector Saxoniæ Iohannes diem ſupremum claudit, filium Iohannem Fridericum ſucceſſorem relinquens. Duas funebres conciones habet Lutherus. Poſtea etiã Ferdinandus, licet initio acerbior fuerit, & Lutheri doctrinam nominarit maledictã, die verfluchte Sect/ tamen ſubinde, rebus ipſis altius conſideratis, mitior factus, dicit, Nihil diſcordiæ eſſe, & ſua pace licere etiã ſubditis ſuis, nedum exteris, eam ſeme grauibus conſcientiæ de cauſis receptam retinere, modò ſectas impias, Cinglianiſmum & ſimilia deliria fugiant. Ad Mattheſium Pragam vocatum ait ipſe, Redi domum, & tuos doce, vt hactenus feciſti, ſecundum Confeſſionem Auguſtanam, &c. Et paulo ãnte obitum anno 1564. inquit, Si Romana Eccleſia mihi deſerenda ſit, conferam me ad Lutheranos, quos video retinere Verbum Dei, & rectè ſentire de Sacramentis, & non habere dubias opiniones, quales ſectæ Anabaptiſticæ & Caluinianæ habent, ſed vallatas eſſe teſtimonijs ſcripturæ: quæ vnica eſt ratio & via victoriam coram Deo & hominibus tandem obtinendi. Hanc vocem ex ore Ferdinandi audiuit, & cum alijs pluribus, pijs, ſapientibus & præclaris ſermonibus ex eodem acceptis annotauit D. Iohannes Næuius ἀρχίατρος Electoris Saxoniæ nomine & re Auguſti, piæ recordationis. Is enim ad curam morbi vocatus ab Imperatore, adfuit ei vſque ad ſuperatum agonem. Eidem vt Patri filius, qualecunque Epitaphium gratitudinis ergò anno, quo obijt, 1574. dicaui, ſic loquenti:

Regibus acceptus: nulli pietate ſecundus:
Candidus, adiutor pauperis, arte potens.
Canicie venerandus, & hæreſis oſor iniquæ,
Ore, Dei verbum quæ petulante negat,

Fortuna

Fortuna Magnus, maior virtute, vocatus
Nauius ad Christum, maximus astra colo
Posteritas, cuius studium, res, commoda, iuui,
Quas debet grates dicere, grata feret.
Munde vale, vita satur, hinc emigro, caduca,
In Christo vita gaudia viuo noua.

Triduo ante obitum Ferdinandus Viennæ subditis liberum vsum integræ Cœnæ Dominicæ iuxta Christi institutionem in Confessione Augustana allegatam concedit, & publica proclamatione per Episcopum Gurcensem in templo Stephani confirmat. Patris exemplum Maximilianus Imperator sequitur, & amplificat, seq; totum Confessioni Augustanæ addictum esse, sanctè testatur. Ad Augustum Electorem inquit, Frater, tuæ ego sum doctrinæ & fidei, sed age quæso, viam ostende extricandi me ex labyrinthis, quibus inuolutus hæreo. Cumq; aliquando huic Cæsari, iussu Electoris, offerendum esset Psalterium à me Germanicè explicatum, audit ille me clementissimè, & præsente Zasio Vicecancellario, cuius etiam humanissimas literas ad me scriptas magnifacio, respondens inter cætera inquit, Quod moneor de Constantini, Theodosij, & Martiani exemplis imitandis, agnosco pietatem: sed quis ego sum, aut quid & quantum possum? Orate pro me misero, qui in doctrina vestra, quæ Confessione Augustana comprehenditur, per Dei gratiam, viuam & moriar, &c.

Ad reformationem quoq; Ecclesiarum Austriacarum secundum Confessionem Augustanam, optimus hic Cæsar opera mea humilima anno 1 5 6 8. vti volens, ad D. Ioachimi Camerarii indicationem de mea tum temporis inualetudine, benignissimè excusationem admittit, & statibus Austriæ Confessionem Augustanam concedit, iubens eos vitare sectas Sacramentarias.

Habemus etiam nunc Imperatorem Rudolphum mitissimum, non hostem, non aduersarium crudelem, qui, nisi fex Calviniana, quam odit meritò, turbas moueret, & mitessi-

confeſsionis Auguſtanæ tegumento & pallio virus ſuum e-
uomeret, non tantum clementiſsima voluntate faueret ijs,
quibus Confeſsionis vſus liber eſt, ſed etiam auerteret,
quantum fieri poteſt, multa imminentia pericula, & Reli-
gionis pacem inuiolatam tueretur. Sed agnoſcimus pœnas,
& deploramus ἀταξίαν Germaniæ, in qua iam ἀκύει ὐδεὶς ὐδὲν
ὐδνὶς, more Nomadum. Tanta vis eſt Caluinianæ luis,
quæ hodie Germaniam inficit, turbat, & ſubinde peſſun-
dat. Vt autem ad Recitationum harum finem veniamus,
& redeat oratio eô, vnde cepit, nempe, à Luthero ad Lu-
therum, cataſtrophe in Comitijs Auguſtanis ea fuit, quæ
precibus ipſius ad Deum, cuius cauſa illa tota eſſet, impe-
trata & effecta eſt, ad nominis diuini gloriam, & veritatis
cœleſtis propagationem directa. Ea enim omnium piorum
ſententia & fiducia fuit, quod ſolius Lutheri animoſitas in
cauſa Dei, & rectitudo coram Deo, fregerit omnes impe-
tus, dolos, & crudelitatem aduerſariorum. Oratio Moſis
pro exercitu Dei triumphum celebrauit. Et adijcere libet
ſymbolum, quod excelſo ſpiritu, cum iam omnia videren-
tur ἐν ξυρῷ ἀκμῇ conſiſtere, iam iam ruitura, erigens ſe verbo
diuino, parieti ſua manu Coburgæ aſſcripſit: videlicet, Iter
impiorum peribit: ſubiecta ſtatim rationis humanæ obie-
ctione & impatientia, Es wehret aber lang: ac rurſum con-
ſolatione, Harre doch: expecta Dominum, viriliter age, &
expecta Dominum. Pſalmum 118. quem nominauit das
ſchône Confitemini, tanta ἐνεργείᾳ verborum & ſententiarum
ibidem interpretatus eſt, vt lector pius diuinum & aureum
poëma illud eſſe etiamnum fateatur, ex quo & ſymboli in-
ſtar habuit hunc verſiculum, Non moriar, ſed viuam, &
narrabo opera Domini: quem & reddidit hoc modo: Non
moriar, ſed viuus ero, viuusq́; manebo, Et narrabo mei fa-
cta ſtupenda Dei, Seu viuam, ſeu non viuam, tamen vndi-
que viuam: Vita mea eſt Chriſtus: quid mihi mors noceat?
Hunc verſum vnà cum verbis, In pace in id ipſum (Pſal. 4.)
petijt à Ludouico Senflio celeberrimo Ducis Bauariæ olim
inſignis Muſicus, numeris Muſicis com-

rehendi: quod excellenter ille præſtitit, & propterea Luthero ſemper carus fuit. Quò enim ingeniorum & animorum præſtantia & nobilitas maior eſt, & precioſior, eò amor piæ Muſices, quæ προγευστικὴ ſiue prægustus eſt vitæ futuræ, & harmoniæ ſymphoniæq; æternæ, ardentior eſt. Cantionem, **Ein feſte Burg iſt vnſer Gott** / Deus noſtra ſpes & fortitudo (Pſal. 46.) repetijt quotidie tanto ſpiritu, vt audientes dicerent, impoſsibile eſſe, hoſtes ſpiritum illum reprimere & vincere poſſe. Et fuit quidam Comes nomine Felix, re ipſa nimis infelix, qui dicere non eſt veritus, ſe diutius vitam acturum non eſſe, quàm arcem iſtam firmam, **die feſte Burg** / intelligens doctrinam Euangelij, debellaſſet & diruiſſet. Is triduò poſt ſubitò mortuus eſt ſine vera agnitione & inuocatione Chriſti. Et vidi ipſe in publico Eccleſiæ cœtu, cantionis eiuſdem repetitione diabolum in puella obſeſſa ſæuientem, ad horrendos quiritatus, eiulatus, boatus, vlulatus, mugitus, rugitus, planctus & fremitus, adactum, & inde abactum fuiſſe. Quid dicam? Recordor ſermonis D. Hieronymi VVelleri, beatæ memoriæ, Theologi tentationibus & experientia exercitiorum ſpiritualium probatiſsimi, qui ſe ex ore Lutheri, cui ipſe cariſsimus & familiaris eſſet, audiuiſſe narrabat, certum ſe eſſe, ſi voluiſſet, impetraturum & fuiſſe ſe dudum, & ſi vellet, conſecuturum eſſe à Deo precibus ſuis, colloquium cum Angelo, à quo in doctrinæ certitudine confirmaretur, ſed ſe nunquam vel feciſſe hoc, vel facere velle, tribus de cauſis, ne tentet Deum, deinde, quia habeat expreſſum & infallibile, ac omni certitudine certius verbum, à quo nihil diuerſi, & alieni allaturus ſit Angelus, etiamſi quis appareat: Poſtea, quia Diabolo diffidat, qui in Angelum lucis transformare ſe poſsit, & lætetur, ſi quis quærat viſiones extra & præter verbum. Ad Principem Georgium Anhaldinum, qui noſtræ ætatis Dauid fuit, & corona ac Princeps Principum Chriſtianorum, Lutherus ſcribit, certum ſe eſſe, nullum bellum ob doctrinam cœleſtem in his terris aut alibi, ſe viuo exoriturum eſſe, quandoquidem preces ſuas

exaudiri quotidie, certò sciat, post mortem verò suam opus fore asiduitate orandi, & tum, inquit, ipsi orate: me viuente, tuti eritis omnes, me moriente coniungite preces vestras. Atq; hoc factum est, & quidem ita, vt à posteriori tanquam Epimethei post factum & acceptum vulnus iudicantes dicere posimus, omnes omnium & singulorum preces in vnum collectas, spiritu, asiduitate, ardore, robore, & efficacia sua, longe infra vnius Lutheri preces & fuisse hactenus, &, prô dolor, adhuc esse, & subinde deferuescere, & imminui, extremo cum nostro malo: quod ideo commemoro, vt exuscitentur animi nostri & studia ad sedulitatem precationum, & ad iuuentutem assuefaciendam precum piarum recitationi. Hodie enim, dum plæriq; sua curant, quomodo emergere, ditescere, splendidè in autoritate, aut saltem tranquillè sine pugna cum Diabolis & hostibus Christi, viuere, aut se ipsos inuicem traducere, diffamare, & in suspiciones mendacisimis calumnijs conijcere, & à tergo vulnerare posint, non amplius superest ardor, concordia, intentio, & alacritas animorum reliqua ea, quæ fuit in Luthero & similibus, nihil aliud, quàm Christi gloriam, & veritatis propagationem sine cuiusquam respectu, & sine priuato emolumento quærentibus: vnde necesse est, nec exauditionem, nec successum, nec statum rerum in Ecclesijs, scholis, & rebuspublicis esse talem, qui conferri posit felicitati & benedictioni Maiorum nostrorum, sed subinde, & quidem sensibiliter decrescere omnia, quæ Dei sunt, &, vt Lutherus ipse loqui solitus est, quæ sunt ab intra, & accrescere ea, quæ mundi & nostræ rationis ac sapientiæ esse vidétur, siue quæ sunt ab extra, hoc est, vt summatim dicamus, mundum ad exitium pedetentim vergere. Sed etiam de his aliâs. Vnum exemplum certitudinis & efficaciæ precum Lutheri data occasione, obiter addere libet. Cum anno 1541. Fridericus Myconius Vir sanctus, Ecclesiæ Gotthanæ pastor, lethaliter decumbens, & phtisi laborans; valediceret Luthero, & cæteris, Lutherus in Epistola consolatoria respondet ei, certò se scire, cum non prius, quàm ipse Lu-

therus ex hac Vita ad Christum euocatus esset, moriturum esse. Hoc inquit, ardenter peto à Deo, & exaudiri volo, & certus sum ita futurum. Hæc enim verba sunt Lutheri; **Das bitte ich mit ernst / wils auch gewehret sein / vnd so haben / vnd mein wille sol hierinne geschehen / Amen.**

Volo vt voluntas mea hac in re fiat, quia gloriam diuini nominis quæro, & non meam gloriam aut voluptatem. Et hoc certissimum esse debet. Hæc Luth. Atq; factum hoc est ita, vt Lutherus prædixit. Conualuit enim Myconius & primum post obitum Lutheri anno 1546. obijt septimo Aprilis, cum Luthero fuisset superstes septies septem dies.

Hæc commemorans facere non possum, quin addam, quæ Vrbanus Regius Theologus eximius, scripsit. Cum Saxoniam peterem, inquit Regius (Augusta profectus Cellam Luneburgicam ad Ecclesiarum inspectionem) Coburgi integrum diem solus cum Luthero Viro Dei transegi, quo die nullus mihi in vita fuit iucundior. Talis enim ac tantus est Theologus Lutherus, vt nulla secula habuerint similem. Hoc magis execror stultitiam, & arrogantiam Carlstadianorum, qui sibi placent, quasi Luthero queant conferri, cuius vmbram non assequuntur, cum omni eruditione, quam iactant. Semper mihi magnus fuit Lutherus: at iam mihi maximus est. Vidi enim præsens & audiui, quæ nullo calamo tradi possunt absentibus. Ego forsitan in iudicanda vera doctrina non omnino truncus, sic iudico, neminem esse, qui possit odisse Lutherum, si eum nouerit. Indicant libri spiritum Lutheri: sed si propius inspexeris hominem, si de rebus diuinis ipsum audieris Apostolico spiritu disserentem, tum dices: Vincit præsentia famam. Maior est Lutherus, quàm vt à quouis sciolo debeat aut possit iudicari: Dicam quod sentio: Scribimus quidem passim, & tractamus scripturas: absit inuidia verbo, sed Luthero collati, discipuli sumus. Hoc iudicium, non ex amore fluit, sed potius amor ex iudicio: Neminem contemno: malo contemni, quàm laudari: sed rursum contemni Lutherum electissimum illud

 Spiritu

Spiritus sancti organum, non patiar. **Er bleibt noch wol ein Theologus fur der gantzen Welt / das weiß ich / ich kenne jhn nu baß / denn zuvor / ehe ich jhn hab selbs gesehen vnd gehört.** Hæc Regius. Similia sæpe D. Philippus dicere solitus est, & nominauit Lutherum aurigam & currum Israelis & postremæ ætatis Eliam, de quo crebrô versum repetijt: Nulla ferent talem secla futura virum. Cumque dona præceptorum & maiorum nostrorum considerans exprimeret, inquiens: D. Pomeranus est Grammaticus, & textus verba perpendit: ego sum dialecticus, & ordinem, contextum, membra, & consequentias considero: D. Ionas est Rhetor, & potest Oratorio lepore & splendore verborum, ornare & illustrare res: addidit, sed D. Martinus est omnia in omnibus, cui conferri nemo nostrûm potest: quemadmodum VVolffgangus Seuerus Cæsaris Ferdinandi olim præceptor de Luthero scripsit:

Iapeti de stirpe satum Doctore Luthero,
Maiorem nobis nulla propago dedit.

Et cum aliquando Northusij D. Ionas audisset concionatores instituentes priuatis sermonibus collationem doctorum Ecclesiæ, singulis attribuentes certa dona, vel eloquentiæ, vel inuentionis, vel dispositionis, vel gestuum & affectuum, ac Lutherum, quoq; nominantes, dixit ille, de Luthero vobis, Viri optimi, tacendum est, cum nominatis concionatores nostræ ætatis, nos vel alios, nullum enim ego noui, qui ei conferri possit, nos serpimus & balbutimus respectu ipsius, ipse rectâ erectus incedit, & pelagus habet verborum & rerum, ex quo guttulas haurimus, & riuulis contenti sumus, ipse potest omnia vnus, quæ nos omnes non præstare, nedum perficere possumus. Et memini D. Philippum dicere de Carlstadio, cum aliquando erupisse præ arrogantia in hæc verba: Non minus cupio magnus esse, & magni fieri, ac Lutherus est. Addebat autem Philippus: Hæc vox æmulationis, inuidentiæ & superbiæ fuit. Lutherus

therus enim à Deo honorem, ἀξίωμα, & autoritatem habebat, qua minimè efferebatur, & quam non ambiebat, & osor ac hostis erat omnium superborum & ambitiosorum. Fuit enim vehemens & acer, cum vehementia opus esset: fuit humanissimus erga omnes: liberalis, præsenti animo atque læto, affabilis, placidus, cuius os & suauitatem & grauitatem præ se tulit, oculi leonini acumen ingenij excellentissimi & animum intrepidum ostenderunt, in consolandis ægrotis, afflictis, tentatis, totus vixit, ad prosternendum & ad erigendum, vt necessitas & circumstantia postulauit, paratus & felix, nemo tam potens, nemo tam doctus, nemo tam versutus, qui spiritum eius potuisset superare, seducere, circumuenire, cessit omnibus & cessit nulli: omnibus, quo ad officia illis exhibenda: nulli, quo ad Verbum Dei asserendum: ex Verbis animum habuit statim sibi perspectum: superbos, quanticunq; essent, vt glumam & stercus fecit, incertos de fide sua, si dociles essent, ceu pueros, fideliter docuit, si præfracti & pertinaces in opinionibus defendendis Verbo Dei repugnantibus & absurdis, iudicio Dei reliquit & Vates verissimus interitum ipsis prædixit. Certum etiam hoc est, Deum voluisse per Lutherum, tanquam per singulare organum ea incoare, & perficere, eaq; perfecisse, quæ per alios mille quantumuis potentes, doctos, & felices, perficere noluit, atq; vnum Lutherum res diuinas eo animo, spiritu & successu tractasse, explicasse, fundasse & propagasse, quo alij, quantumuis clari & eruditionis nomine insignes, vix exordium aliquod facere potuissent, aut si quod fecissent, in medio illud reliquissent imperfectum, absterriti metu periculorum καὶ ἀκροβολισμῶν in hac vita. Habuit ille suos diuinitus sibi datos synergos, quorũ laboribus nihil omnino detractum volumus, sed idem, quod illi confessi sunt semper affirmamus, vnum nempe Lutherum fuisse nostræ ætatis Mosen, cuius ductu etiam cæteris pijs animus, spiritus, & successus datus est, & sine quo, vt sumus homines, facile, imò statim animus concidisset, & ardor deferbuisset, nec res tantæ progressæ fuissent eò, quo Deus per electũ hoc, vege-

tum, & alacre, viuum & imperterritum ſuum organum deducere illas voluit. Nec vero hic nobis vlla contentione cum ijs opus eſt, qui extra nauigationem conſtituti, in portu & ripa ſpectatores ſunt, ac etſi ipſi parum aut effecerint, aut præſtent, vix guſtando paroxyſmorum micam pro veritate verbi diuini, tamen cenſores ſunt catholici, & iudicare de omnium conatibus, ſudoribus & periculis, & de ipſius Spiritus ſancti actionibus non verentur, non tantum æquiparari Heroibus illis noſtris, ſed eminentiores quoq; videri volentes, vt hodie exempla manifeſta in nouis Catabaptiſtis, & dipnoſophiſtis, ante oculos videmus, quorum molitiones, calumnias & mendacia Cerberus tandem, qui illos euomuit, rurſus deuorabit. ἀλλὰ ὁ σύμβλητ᾽ ἐστι κυνοτεῦχος οὐδ᾽ αἱμάτα πρὸς ἔδια. Sed hæc de his, quæ verſiculis concludemus:

Non mihi ſi centum linguæ ſint, oraq; centum,
Proferrem laudes, Magne Luthere, tuas.
Dicimus at grates Chriſto, qui protulit illum
Doctorem noſtro tempore mirificum.
Solus es aſſertor veri, licet ilia Codro
Rumpantur; maius te nihil orbis habet.
(Offendi noli naſute & perfide liuor,
Hæc verè verax in tua damna loquor.)
Voce Dei pugnas, proſternis cuncta Luthere,
Viuit & in ſcriptis Spiritus ipſe tuis.
Tu Moſes noſter, tu noſtræ ætatis Elias,
Et pater, & vera laude Propheta manes.
Ah abeant, valeantq; mali, ingratiſsima turba,
Quæ tibi iure datos inuidet hos titulos.
Quicquid dicatur, magno nil tota Luthero
Vltima iam mundi machina maius habet.
Ignorant hoc ſecuri, doctiq; rudesq;,
Et nimis hoc dictum turba profana putat.

336

At quicunque videt præluſtria dona Tonantis:
Et quibus eſt cordi gratia, vita, ſalus.
Qui ſunt afflicti, ſibi qui ſolamina quærunt,
Qui Chriſtum vera ſimplicitate colunt,
Hi norunt, & teſtari ſine crimine poſſunt,
Hoc Doctore pios maius habere nihil.
Maximus eſt Chriſtus: maior ſcriptura Tonantis:
Doctor at hic magnus monſtrat vtrunque ſimul.
Aedificat Verbo, ſolatur & inſtruit omnes,
Deſtruit hæreticos, & gerit arma Dei.
Chriſte tibi grates agimus pro lumine Verbi,
Da tu doctores, qui tibi grata ſonent,
Concordes iungas animos, & pectora noſtra
Inſtrue cœleſti lumine: Chriſte veni.

Domum porrò reuerſus Lutherus, vna manu ædificationem templi vrſit continuo & indefeſſo ſtudio, altera retionem templi vrſit continuo pulit hoſtes, reſtitit Pontificijs, Anabaptiſtis, Sacramentarijs, Antinomis, & alijs compluribus, ſicut ipſe inquit, ſe plura quam triginta genera hæreticorum publicorum & priuatorum habuiſſe in conſpectu ſuo, & niſi veritate Verbi diuini ſe probè inſtruxiſſet & obfirmaſſet, ſingulis annis, imò propemodum ſingulis menſibus nouam fidem & phantaſiam ſibi ſuſcipiendam fuiſſe, quemadmodum eueniat omnibus, qui ſecuri ſint, & verbo & inuocatione veram fidem & doctrinam non obmuniant. Et congruit cum hoc ſermone oratio viri cuiuſdam, ſapientia & autoritate præſtantis, qui ad quoſdam proceres Dreſdæ dixit: hoc anno ſi fuerimus Caluiniani, ſequenti anno erimus Arriani, addiderunt poſtea alij, tertio anno aliquid erimus aliud, quarto anno nihil, aut prorſus Mahometiſtæ, quinto anno ad infernum. Dederunt autem Luthero teſtimonium ipſi Pontificij ſaniores & eruditiores, neminem tam acriter, tam feliciter, tam animosè & efficaciter ſectis & prauis dogmatis hac ætate ex-

ortis

ortis resistere, ac vnum Lutherum, & hunc scriptoribus Pontificijs, scholasticis sophistis, monarchis & alijs, quietem á labore parasse & dedisse, qui omnes coniuncti non possent vnam hæresin conuellere tanta felicitate, quanta Lutherus vnus conuellat omnes. Spiritum autem & animum Lutheri, in asserenda doctrina Confessionis Augustanæ, & inprimis articuli de Iustificatione hominis coram Deo propter solius filij meritum gratuita, sine nostris vel antecedentibus, vel præsentibus vel consequentibus operibus, sola fide vnicuiq; applicanda, si non ex scriptis cæteris omnibus atq; singulis, quæ vigorem viuum in se continent, saltem ex hoc vno, conspicere & æstimare libet, quod, cum aduersarij articulum illum nouo edicto ceu hæreticum infamarent, ipse, Filij Dei causam dicens, scripserit hunc in modum: Dico ego Doctor Martinus Lutherus, Domini nostri Iesu Christi, indignus Euangelista, quod hunc articulum (Fides sola absq; omni opere iustificat coram Deo) firmum atq; inconcussum permittere debet Romanus Imperator, Turcicus imperator, Tartaricus Imperator, Persarum imperator, Papa, omnes Cardinales, Episcopi, sacerdotes, monachi, moniales, Reges, Principes, domini, falsi fratres, & Schvvermeri, totus mundus simul cum suis Dæmonibus, atq; insuper habebunt ignem tartareum in capita sua, neq; grates vllas. Hic esto meus Doctoris Lutheri instinctus á Spiritu sancto, verumq; ac sanctum Euangelium.

Ad hæc verba Princeps mundi ringatur ac insaniat, nocere nescit nebulo, cum fractus sit vel verbulo.

Inter cæteros labores propemodum immensos, Smalcaldiæ in conuentu Principum & Theologorum, anno 1 5 3 6. cum de Concilio Mantuæ congregando spes facta esset, & Confessio Augustana omnium subscriptione denuò confirmaretur, rogatus in altero sequentis anni conuentu scripsit articulos, qui postea Schmalcaldici dicti sunt, omni-

am manu & ipsi comprobati, &, vt in Concilio, si quod futurum esset, offerrentur, vnanimi consensu delecti.

Fuerat antea Petrus Paulus Vergerius Cardinalis, Legatus Pontificis, non tantum cum Principibus, quib. consilium Pontificis Clementis, & noui Pauli III. ante a Alexãdri Farnesij dicti, de Concilio Mantuæ indicendo exponeret, sed etiam cum ipso Luthero VVitebergæ in arce, qui assumto secũ Pomerano voluit curru vehi magnorum studiosorum & ciuium comitatu ad Legatum, quem excepit salutatione honorifica quidẽ, sed nimis tenui, & vulgari, pro Pontificij Legati, vt videbatur, dignitate. De Concilio verba facienti Cardinali respondet Lutherus, Verba sunt, verba datis, de Concilio nunquam seriò cogitatis, &, si quod futurũ sit, de rebus ludicris, cappis, vestibus, calceis, capillis, caseis, ouis, & id genus cibis, cereis, campanis, præcipuè tractatis: nos quidem vestro concilio non indigemus, quia de doctrina & fide nostra per Spiritum sanctum certi sumus, & extat Confessio nostra Augustæ Imperatori oblata, sed tamen, si placet, agite, congregate Concilium, comparebo ipse, etiamsi sciam, vos non quieturos prius, quàm in ignem me conijciatis. Legato quærenti, quo in loco vellt institui Concilium, Lutherus respondet, Vbicunque volueritis, siue Mantuæ, siue Florentiæ, siue Patauij, siue alibi. Quid si Bononiæ? inquit legatus. Lutherus audiens Bononiam esse Pontificis vrbem, exclamat, Bone Deus, Pontifex etiam istam ciuitatem ad se rapuit? Sed quid tum? Veniam promto & læto animo. Legatus rursum: Quid si ipse Pontifex ad vos VVitebergam veniret? Veniat, ait Lutherus, videbimus eum, si venerit. Sed, inquit Legatus, cum exercitu ne, aut sine exercitu venientem videre cupitis? Lutherus, vtrum ipsi placuerit, vtrumque nobis idem & vnum est. Instat Legatus quærendo, Consecratis ne etiam sacerdotes? Lutherus respondet, Quoniam Pontifex & Episcopi nobis omnem ordinationem denegant, ipsi mandato diuino consecramus & ordinamus idoneos, cuius rei exemplum viuum hic videtis, Pomeranum scilicet, quem constituimus

stus Episcopum harum Ecclesiarum. Valedicens tandem & VViteberga abiens Legatus, Luthero ait, Vide vt sis instructus ad Concilium. Lutherus respondet, Videte vt vos instructi sitis, ego instructus veniam cum isto collo meo, & ram, quæ Christus voluerit. Scilicet hic est Vergerius, qui postea anno 1548. cum scribere aduersus Lutheranos institueret, atque ob id eorum libros diligenter euolueret, mirabili occasione & conuersione ad Euangelij veram cognitionem venit, & ad eandem fratrem suum Episcopum Polæ pertrahit, à Pontificatu Romano deficit, Pataiuij Franciscum Spiram ex desperatione laborantem consolatur, & secedens ad Rhœtos, ibi, & in valle Telina per aliquot annos Euangeliũ docet: inde à Christopho Principe VVirtembergico Tubingam euocatur; qua in regione tandem fide Lutherana & viuit & moritur. 238

Priore anno, quàm Smalcaldiæ articuli scripti, subscripti & confirmati essent, VVitebergæ etiam Forma Concordiæ inter Lutherum & Sacramentarios scripta est, Bucero publicè reuocante suum errorem Cinglianum, & multis cum lacrymis testante, se & errasse hactenus, & nunc Luthero per omnia consentire, & ad huius rei testificationem vnà cum comitibus, Capitone, Frechto, Musculo, Scholastico, Schradino, & alijs, ad sacram synaxin accedere, vt Electori Saxoniæ Philippus peculiari epistola significauit. Sed hæc Concordia à Tigurinis recepta non est, & ab ipsis Sacramentarijs, flexibilibus glossematis prorsus deprauata, & tandem pro ludibrio habita, vt suo loco historia ostendet.

Smalcaldiæ anno 1537. incidit Lutherus in morbum prorsus lethalem, calculo ipsum ita adoriente & prosternente, vt ad dies vndecim ne guttam vrinæ emitteret. Electores & Principes ægrotum illum visitarunt diligentissime. Precatio ipsius hæc fuit: Domine IESV CHRISTE, tuum nomen multos liberauit, libera etiam me. Deus, qui scis, me tuum verbum fid[illegible] & reuerenter docuisse; si est pro gloria nomin[illegible] libera

me, vt conualescam: Si non, claude oculos meos in pace vt placidè moriar. O Domine Iesu Christe, quam egregium hoc est, si quis pro verbo tuo martyr factus moritur. mihi hæc gloria non contingit. Moriar tamen inimici inimicis tuis, sub anathemate Papæ, qui sub anathema tuo moritur: Gratias tibi ago mi Domine Iesu, quod in agnitione tui nominis morior: faciam, quod Deus vult, cuius gratiæ me totum trado. Si bona suscepimus, de manu Domini, mala cur non sustineamus? Moriar in odio Papæ, qui se extulit super Christum, &c. Hac precatione sæpe & multis verbis iterata, condidit Lutherus testamentum, & verbi diuini ministris legauit odium Papæ, actiuè & passiuè. Ductus autem in oppidum Tambach, restitutus est priori valetudini, vnde locum illum nominauit locum benedictionis suæ, & consolationis, Capernaum, ac domum in qua sanatus erat, Bethabara, id est, domum transitus.

In itinere rursus venerunt ad Lutherum Bucerus, & Lycosthenes, afferentes Consulis Basiliensis literas humanissimè & filiali reuerentia scriptas. Hos monet Lutherus ad publicam Confessionem, reuocationem errorum, & minimè fucatam Concordiam. Dicite, inquit, scapham scapham, & ficum ficum. Qui simpliciter docet, optimè docet.

Anno 1538. Poëtam Simonem Lemnium calumnijs,
x & versibus virulentissimis, quales hodie sunt versificum
15. Ianua. quorundam calumnijs sese saginantium, optimos viros, doctores & ciues, matronas & puellas dehonestantem, & Alberto Marchioni, Archiepiscopo nænias suas dedicantem, publico scripto, vt maledicum & impium, cacandrum mordacissimum nigrum & pestiferum vitari iussit, & chartæ commisit αὐτοσχεδίασμα, quod nominauit Lutheri dysenteriam in Lemchen Poëtam, hoc modo:

Quàm bene conueniunt tibi res & carmina Lemchen:
Merd[illegible] [illegible]es est, carmina merda tibi.

Dign

Dignus erat Lemchen merdosus carmine merdæ,
Nam vatem merda nil nisi merda decet.
Infelix Princeps, quem laudas carmine merda,
Merdosum merda quem facis esse tua.
Ventrem vrges, merdam vellesq; cacare libenter
Ingentem, facis at merdipoëta nihil.
At meritis si digna tuis te pœna sequetur,
Tu miserum coruis merda cadauer eris.

Taceo iam, quæ subinde scripsit & edidit, de Missa angulari, de libero arbitrio, de symbolis, de Concilijs & Ecclesia, contra Antinomos, contra vsurarios, contra Turcas; contra Iudæorum Schemhamphoras, contra Louanienses hæreticos & sanguinarios: item de nouissimis verbis Dauidis, de Cœna Dominica, contra Sacramentarios, & de Papatus fundatione Satanica, ac de multis alijs capitibus doctrinæ Christianæ: in primis cygnæam cantionem, in enarratione Geneseos, qui labor decem annorum fuit. De Schvvenckfeldij delirijs verba Lutheri memoriâ digna sunt: Diabolo homo iste obsessus est, cui dico: Increpet Dominus in te Satanam, & sit Spiritus tuus, qui vocauit te, & cursus tuus, quò curris, & omes, qui participant tibi, Sacramentarij & Eutychiani, tecum, & cum vestris blasphemijs in perditionem: sicut scriptum est, Currebant, & non *Ierem. 23.* mittebam eos, loquebantur, & nihil mandaui eis.

Cum autem labores suos continuasset quotidie, scribendo, concionando, prælegendo, consolando, consulendo, & præstando omnia, quæ in hac vita Viro diuinitus gubernato possibilia sunt, imò longè maiora & augustiora, quàm aliorum ingenia & humeri mille ferre possunt, etiamsi omnes Mannos, vt quidam Princeps dixit, in vnum colligamus, satur vitæ, & indignatione heroica commotus aduersus ingratitudinem, & manifesta scelera, tacitamque cum Sacramentarijs collusionem quorundam, VVitebergâ abiens, redire illuc noluit, scripsitq; ad vxorem literas, in-

quiens, Mein hertz ist erkalt/ das ich nicht gern mehr zu Wittenberg bin: Wolte auch das du verkeuffest Hauß vnd Hoff. Ich hoffe/ mein gnedigster Herr sol mir den Sold folgen lassen zum wenigstē ein Jar meines letzten lebens (ecce animi præsagium.) Nach meinem Tod werden dich die vier Element zu Wittenberg doch nicht wol leiden. Darumb wer es besser bey meinem Leben gethan/ was denn zuthun sein wil. Vieleicht wird Wittenberg/ wie sichs anleßt/ nicht Sant Veitstantz/ noch Johanstantz/ sondern den Bettlertantz oder Beelzebubstantz kriegen/ etc. Nur weg/vnd aus dieser Sodoma/etc. Ich bin müde/vnd wil nicht widerkommen/ sondern vmbher schweiffen/ vnd das Bettel ehe essen/ ehe ich meine alte letzte tage mit dem vnordigen wesen zu Wittenberg martern vnd verunruhigen wil mit verlust meiner schweren sawren tewren arbeit. Doctor Pommer wird von meinet wegen Wittenberg gesegnen/ etc. Has literas cum vxor Lutheri D. Pomerano & D. Philippo exhibuisset, conuocarunt illi maximo cum mœrore omnes Professores, & re piè, & solicitè deliberata statim ad Electorem Saxoniæ ablegarunt fideles & supplices viros, qui intercesſione eius clementisſima apud Lutherum vterentur, ne à suo Patre, præceptore & Duce desererentur, promittentes Luthero omnem reuerentiam, obedientiam & subiectionem. Elector anxius misit ad Lutherum, apud Amsdorfium Episcopum Zizæ commorantem, Consiliarios, eumque ad se vocauit, & rogando monendoque VVitebergam vt rediret effecit: quò reuersus, se examinare velle Professores in doctrina de Cœna Dominica, sua manu ianuæ hisce verbis asscripsit, Nostri Professores de Cœna examinentur. Ea verba cum legisset Doctor Georgius Maior, Quid, inquit, Reuerende Domine Pater, volunt sibi illa? Cui Lutherus, quod sonant, hoc volunt, & tu quoque illis comprehenderis. Ille se excusans accipit responsum,

Si rectè sentis, cur taces, & tacendo veritatem prodis? Credidi, propter quod locutus sum: Si credis, loquere, & non adulare alijs. Paulò post anno 1546. vocatum Islebiam à Dominis suis generosis Comitib. Mansfeldicis ad Comitum fratrum animos de finibus & hæreditate distractos sancto Christianæ caritatis & pacis vinculo conglutinandos, cum ibi aliquoties in templo docuisset, & publicè & priuatim se contra Sacramentarios denuò scripturum esse promisisset, Deus misericors ad sese ex hoc mundi tanto Heroe, Patre & Duce indigni pistrino, vocare voluit: id quod decimo octauo Februarij in Patria, in qua natus fuerat ante annos sexaginta tres, completis ita climactericis nouem septenarijs, Heroico iam currente, factum est, prò dolor, die Constantiæ & Concordiæ, quæ simul cum Luthero obijsse visa est. Maluisset, vt sæpe dixit, si Deo placuisset, martyrio se subijci, dilacerari, dissecari, transfodi, cremari, ob veritatis cœlestis confessionem. Miserum me, inquit, qui indignus iudicor martyrij corona. O felices, qui ꝑpter Christi sanguinem, fundunt suum sanguinem, & propter mortem Christi mori non timent. Sed & absq; ferro & flamma martyres esse possumus. Recitauit autem ante obitum præsentibus Comitibus Mansfeldicis, Theologis, & filijs, precationem his verbis: Mi Pater cœlestis, Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi, Deus vniuersæ consolationis, gratias tibi ago, ꝙ mihi dilectum filium tuum Christum Iesum reuelasti, in quem credo, quem prædicaui & confessus sum, quem amaui & celebraui: quem abominabilis Papatus & omnes impij blasphemant, & persequuntur. Oro nunc te, mi Domine Iesu, vt habeas animulam meam tibi commendatã. O Deus cœlestis Pater, etiamsi hoc ærumnosum corpus mihi est dimittendum, & ego ex hac vita abripiendus sum, tamen certò scio, me tecum in æternum mansurum esse, & neminem me è manibus tuis eripere posse. Sic enim ô Deus dilexisti mundum, vt vnigenitum Filium tuum nobis dares, vt omnis qui credit in eum, nõ pereat, sed habeat vitam æternam. DEVS noster: DEVS ad saluandum, & Dominus est Dominus educens ex morte. Abeo nunc, abeo, Pater, & in manus tuas commendo Spiritum

ritum meum, redemisti me Deus fidelis & verax. Pater in manus tuas commendo Spiritum meum; redemisti me Deus fidelis & verax. Pater in manus tuas commendo Spiritum meum, redemisti me Deus fidelis & verax.

His dictis, cum ad D. Ionam, & Micaëlem Cœlium quærentes ex eo, num in doctrina, quam confessus esset, vitam Christo reddere vellet, clara voce omnibus in conclaui toto audientibus dixisset, Volo, placidissimè obdormiuit, summo omnium cum luctu, lacrymis, gemitibus, & suspirijs, eiulatu, etiam & planctu maiori, quàm cogitari & dici potest, & cum decremento & detrimento totius Ecclesiæ Christi in hac vita, præsertim in mundi fecibus. D. Philippus acceptis literis de obitu Lutheri, lacrymis profusè effusis in publica lectione inquit exclamans, occidit, occidit, cecidit auriga & currus Israelis, Reuerendus Pater Lutherus: Deus nostri misereatur: ad quam vocem tanta consternatio & horror totum auditorium occupauit, & compleuit, vt etiam parietes flere viderentur, & nemo esset, qui alterum sine dolore & luctu intueretur.

Obitum huius Prophetæ nostri, & postremæ ætatis Eliæ, quanta mala subsecuta sint, nouimus & experti sumus, bella intestina & bella externa adhuc passim durantia, motus, simultates, calumniæ, diffidentiæ, odia irreconciliabilia, discordiæ, corruptelæ, portenta opinionum, in primis de persona Christi, & de Cœna Dominica blasphemarum, motarumq; à Sacramentarijs Caluinianis, item, mutationes, translationes, confusiones, Epicureismus, perfidia, contemtus Christi, verbi, & fidelium ministrorum: plurimorum etiam apostasia, inconstantia, leuitas, truncus sine capite, infidelitas, serpens nutritus in sinu, ingratitudo, & quis scelera omnia referat? in doctrina saltem, & in ordine docentium, ne dicamus de vita, & alijs statibus, politico, & œconomico, vbi verè omnia sunt hominum tenui pendentia filo, & velut vmbraculum in vinea, & tuguriū in cucumerario, & Deus factus est actus.

Quidquid autem fiat, Quæ semel edocuit diuina me

te I

te Lutherus, Hæc retinet veræ grex pietatis amans: Cætera turba valeat & pereat, ac periodum assequatur suam.

Bone Deus, quarum mutationum tristi animo recordor? Octogesimus octauus annus Ecclesiæ Christi, quam Lutheranam vocant, fuit periodicus, ne dicam, ominosus, & pœnæ ingratitudinis nuncius atq; executor. At nemo propemodum est, qui obseruet Dei occulta iudicia, quæ tamen prædicta sunt ante annos plus quam ducentos, vt etiam Copernicus, Regiomontanus, Steflerus & Schonerus Mathematici præstantissimi, testati fuerunt. Cumque hic decimus fuerit septenarius ab initio repurgatæ doctrinæ, nempe à decimo octauo anno, & septuagesimum septimum annum suæ durationis attigerit, admiror meritò consilium Dei, qui in doctrinæ suæ Euangelicæ initio, ἐπακμῇ, ἀκμῇ καὶ παρακμῇ, septenarium κλίμακα mirabili progressu in montibus Israël, vbi Lutherus docuit, obseruare voluit. Primum enim septenarium incipiendo ab anno, quem nominauimus, & quo Luthero Leo rugiens se opponere cœpit, obitus Sapientis Electoris Friderici anno XXV. compleuit. Secundum septenariũ obitus pientissimi Iohannis Electoris an. XXXII. perfecit. Tertij septenarij finem, anno trigesimo nono, mors Georgij Ducis Saxoniæ, aduersarij personæ Lutheri; & vita ac gubernatio Henrici successoris, atq; totius Misniæ illuminatio & conuersio excepit. Quartus septenarius ipsum Ducem Currum & aurigam Israëlis Lutherum nobis ademit, anno quadragesimo sexto, subsequente metamorphosi omnium ferè rerum, & bello Germanico etiam infantum cunas passim perterrefaciente. Quintum septenarium, anno quinquagesimo tertio, placidus obitus Ernesti Ducis Saxoniæ, & violentus Electoris Mauricij paulò post Christianissimus Iohannis Friderici Electoris, electi Martyris Christi, Ducis afflictorum, Principis Confessorum fidei, Comitis Veritatis, Signiferi sanctæ Crucis, Exempli patientiæ & constantiæ, ac hæredis vitæ æternæ, vel excepit partim vel statim subsecutus est. Hîc nec possum nec debeo omittere optimi huius Principis, cum is apud Cæsarem captiuus

Q effet,

esset, admirandam, & omni memoria dignam in Confessionis Augustanæ professione Constantiam. Cum enim vrgeretur, vt decreto & libro, cui nomen τὸ μεταξὺ, vulgò Interim seu Interreligio vsque ad Concilium seruanda, se subijceret, Cæsari respondit, se profiteri eam doctrinam, quam sciat cum Prophetarum & Apostolorum scriptis conuenire, & nullius erroris conuinci posse, comprehensam nimirum scripto exhibito Cæsari Augustæ à parente suo, à se & alijs quibusdam Principibus, ac sibi non licere ab agnita veritate, nisi sempiternum exitium sibi accersere velit, discedere, nec se contraria veritati dogmata probare, & pictis fucatisque verbis diuinam Maiestatem, simul & Cæsarem, ludificare velle: id quod non tantum flagitium nefandum, sed & peccatum in Spiritum sanctum, in æternitate omni non condonandum esset: seque ideo per misericordiam Dei, quam humano generi per Filij sui immolationem ipse contulit & impertiuit, orare obtestari, & suppliciter obsecrare, vt in Augustanæ Confessionis doctrina viuere moriq; sibi liceat, vt & salutis suæ causa certus esse posit, & post hanc ærumnosam vitam, æternæ vitæ & lætitiæ particeps fiat: testificari autem se Deum & nunc, & in iudicij vltimi executione testificaturum esse, se nihil aliud spectare, quàm vero Dei cultu hæreditatem cœlestis regni, posthabitis omnibus, quæ huius mundi esse diciúe possunt.

Sextum porrò septenarium Philippus Melanthon suo obitu, & aliquot iuniores Principes Dresdæ & Vinariæ, anno sexagesimo, compleuerunt, accedente postea Repetitione & Confirmatione Augustanæ Confessionis in conuentu Electorum & Principum Naumburgi in Turingia. Septimum septenarium anno sexagesimo septimo tragædia Gotthana tristem reddidit, capto Principe Electoris Constantis filio, cui Christus in custodia adfuit hactenus, & aderit deinceps. Octauum septenarium, anno septuagesimo quarto, VVitebergensis defectio ad Caluinismum, ignobilem fecit, Theologis Electorem Augustum contra omnem fidem perditissimè decipientibus, adiuncto sibi agmine aulicorum, Cancellarij,

Consiliariorum,concionatorū aliquot, multorum nobilium, Academiarum,& Consistoriorum duorum : qua de re historia ipsa nos edocebit. Gratias Christo meo, inquit Elector, toto pectore ago,quod fraudes & insidias istas,quibus Theologi, iurisconsulti, medici, & consiliarij mei, me circumductum, & illis irretitum, ac omnes subditos meos miserrimè in extremam animarum suarum perniciem coniectos voluerunt, mihi detexerit, & his Ecclesijs, scholis, & regionibus adhuc tam bene consuluerit, & opem in summa necessitate tulerit. Serpentes sunt Caluiniani, lubrici, & impostores, quorum malitiam & technas expertus sum, ciuiliter & Ecclesiasticè. Nulli credo, quem scio esse Caluinianum, &c. Nonum septenarium, anno octogesimo primo, Christianæ Concordiæ liber, antecedente anno publicatus, Ecclesijs ceu παρακαταθήκην, iussu Electorum, Palatini, Saxonici, & Brandenburgici, ac cæterorum Principum & statuum; qui nomina sua addiderunt, & præfationem à politicis suis rectè sentientibus, & labe Caluiniana nondum aspersis,scribi voluerunt, commendatus & traditus, insignem, & Deo ac vniuersæ Ecclesiæ in Germania orthodoxæ, gratum & acceptum reddidit, ita, vt certum sit, ijs, qui ab illo iam deficiunt, nec posse nec debere deinceps fidem in religione vllam haberi, siue Theologi sint, siue alij. Decimum septenarium, anno octogesimo octauo, conspurcauit tentata remotio libri Concordiæ & scriptorum Lutheri Polemicorum, id est, omnium (quia in omnibus & docet & pugnat) leuitas,inconstantia,& assentatio Theologorum plurimorum, remotio & exilium multorum recte & fideliter docentium, apostasia securorum & ingratorum hominum,ambidexter consensus, &c. Atq; ita factum est, quod Lutherus prædixit de periodo, ingratitudine, nausea verbi, & sapientia mundi, quæ coram Deo damnata est fatuitas, & Satanica peruersitas. Christus Iesus consoletur turtures suos constantes, & pessima quæque, expulsiones, abdicationes, exilia & pauperiem ferentes propter Confessionem doctrinæ, quam ipse ministerio Lutheri nobis tradidit, & commendauit. Merces ipsorum copiosa est in cœlis. Quid

porrò futurum sit, nouit ille, in cuius manu sunt omnia. Confusiones expectamus extremas, quas auertere nemo, nisi Deus immediatè potest, qui illes certissimè & mirabiliter auertet. Furunt Caluiniani. Non quiescunt Pontificij, quos procul dubio Deus per Caluinianos eam ipsam ob causam passim exercet & punit, quod optimis Lutheri consilijs, id est, Verbo Dei tam crudeliter se opposuerunt & opponunt, quibus ille nihil quæsiuit aliud, nisi cursum Euangelij, gloriam Dei, & salutem omnium, & tantum manifestos errores & abusus ostendit & taxauit. Si Episcopi, inquit Lutherus, concederent libertatem & vsum doctrinæ cœlestis veritatis, secundum expositionem Confessionis æditæ, retinerent sua bona, suamq; diæcesin nostra pace, quemadmodum Valerius Episcopus Hipponensis non idoneus ad concionandum, substituit Augustinum, qui suo loco haberet conciones. Item, pro mea persona ausim promittere, rursus me futurum Papistam, si ad iudicium res veniret, & adulatores Papæ non essent, qui sub nomine & negotio Lutherano tantum sua quærunt, &c. Quid quæso dici largius, quid concedi amplius debet aut potest? Et paucis hisce res sanè magnas comprehendimus, de quibus alias copiosius fortè differendum erit, addita solummodo hac commonefactione, vniuersum illud, quod per nos postulatur, aliud esse nihil, nisi verbi diuini integritatem & dignitatem, concedendam nobis ab aduersarijs, & consistentem in his: primò, ꝙ Christus solus & vnus sit redemtor, iustificator, mediator & saluator noster, merito suæ obedientiæ & passionis absq; nostris & omniũ aliarum creaturarum operibus, additamentis, sanctimonia & meritis, & quòd hæc Christi beneficia per solam fidem, quæ ex verbo Dei audito & lecto à Spiritu sancto donatur, efficitur, & retinetur, nobis applicentur, & approprientur: secundò quòd solus inuocandus sit is, qui est omnipotens & καρδιογνώστης, auditq; & videt gemitus & preces hominum omnium & singulorum, præter quem nulli rei amplius cultus adorationis debeatur: tertiò quod nulli creaturarum liceat, Verbum, mandatum & institutionem Dei in minimo mutare, nec adimendo nec addendo quicquam:

quartò,

quartò, quòd humana traditio & decretum humanum extra Dei verbum, licet optima illa traditio esse videatur, nullius tamen conscientiam cogere posit, aut debeat obligare ad obedientiam opinione cultus Dei & persuasione remissionis peccatorum, & gratiæ impetrandæ præstandam, quandoquidem sine Verbo nihil de cultu Dei statui potest: Quinto, quod Ecclesia Christi non sit alligata ad locum aut personam & cathedram certam, sed tantummodo ad Christum & verbum atq; Sacramenta Christi, in horum vero intellectu, & vsu integro: Vnde Catholica illa nominatur: Sextò, quòd quidquid cum verbo Dei pugnat, aut in eo non fundatum est, sit in fidei articulis falsum, & minimè probandum, sed fugiendum & rejjciendum; ne in periculum salutis amittendæ incidamus. Hæc si largiri Christo & nobis vellent aduersarij, nihil contentionum restaret, & de Papistis non essemus soliciti (inquit Lutherus) A nostris mihi iam plus est negocij & periculi, quàm ab ipso toto Papatu, qui posthac nihil poterit contra nos. Adeo verum est, Regnum si destruendum est, non externis, sed suis viribus destruitur. Romana res mole ruit sua: corpus magnum metuimus collapsurum; populumq; potentem in sua victrici conuersum viscera dextra. Hæc Lutherus, qui etiam hæc sua manu notauit: Non excludimus Pontificios saniores & doctos à dijudicatione doctrinæ contra Iudæos, Mahometanos, Arrianos, Nestorianos, Eutychianos, Macedonianos, Manichæos, Seruetianos, Anabaptistas, Cinglianos, Schvvenckfeldianos, & similes, præterquam vbi contra expressum verbum Christi, id est, voce Antichristi docent de primatu Papæ diuino iure, & de scripturæ insufficientia, ac traditionib. humanis pugnantibus cum scriptura, inuocatione sanctorum, mutilatione Sacramenti Cœnæ, artolatria, metusiosi, atq; de iustificatione & salute hominis etiam per & propter nostra opera, de prohibitione coniugij, & figmento purgatorij, & nænijs alijs quibusdam quæstus causa excogitatis, &c. Sed de his hactenus.

Nunc historicis prolegomenis paucis & necessarijs in:

Fidem & Confeſsionem noſtram ab Apoſtolis traditam, à martyribus roboratam, & à fidelibus iam vſque cuſtoditam, præmiſsis & finitis, TE Omnipotens æterne Deus, Pater D. N I. C. oramus ſuppliciter, vt inter nos & ex nobis tibi æternam Eccleſiam colligas, Politias, hoſpitia Eccleſiæ tuæ & magiſtratus conſerues, pios doctores protegas, & vt nauiculam tuam fluctibus ſæuiſsimis vndiquaque quaſſatam, tuæ Eccleſiæ cœtum tenerum & exiguum ſanguine Filij tui conſperſum, ablutum, redemtum, tuas ſcholas, in quibus adhuc ſonat vox Euangelij, & ſupereſt puritas doctrinæ, quam per Lutherum organum tuum electiſsimum nobis reſtituiſti, & contra portas inferorum, & contra fanaticos Spiritus omnes hactenus diuina virtute aſſeruiſti & tutatus es, doceas ipſe, regas & tegas, ducas, defendas, conſerues, & non ſinas deleri puritatem doctrinæ tuæ, ſed pectora noſtra, Principum, Magiſtratus, Doctorum, Præceptorum, Diſcipulorum, Condiſcipulorum, ciuium, & ad amorem ardentem verbi tui, & ad veram curam & celebrationem diuini nominis tui, & ad ſtudium veritatis, & illuſtrationis gloriæ tuæ, & ad firmam fiduciam in te & verbi tui propugnaculo & aggere inuicto collocandam, deniq; ad veram pietatem, & piam atque ſalutarem concordiam propter nomen tuum, & verbi tui puritatem & fructum flectas, vt ſimus & maneamus vnum in te ad tuam gloriam, & ad noſtram ſalutem. DEVS, auribus noſtris audiuimus, patres noſtri annuntiauerunt nobis opus, quod operatus es in diebus eorum, & in diebus antiquis. Tu manu tua gentes diſperdidiſti, & ipſos plantaſti, afflixiſti populos, & ipſos extendiſti. Nec enim in gladio poſſederunt terram, & brachium eorum non ſaluauit eos: ſed dextera tua, & brachium tuum, & illuminatio vultus tui, quoniam complacuit tibi in ipſis. Tu es Rex meus ô Deus, qui promiſiſti ſalutem Iacob, per te inimicos noſtros euertemus, & in nomine tuo proculcabimus inſurgentes contra nos. Non enim in arcu meo ſperabo, & gladius meus non ſaluabit. Saluaſti enim de affligentibus nos, & odientes nos confudiſti

DEVS


DEVM laudabimus tota die, & in nomine tuo confitebimur in ſecula. Nunc autem cur repuliſti, & confudiſti nos: & non egrederis Deus cum exercitibus noſtris? Fugari nos permiſiſti ab inimicis noſtris, & ab oſoribus noſtris diripi nos. Dediſti nos tanquam oues in eſcam. & inter gentes diſperſiſti nos? Vendidiſti populum tuum ſine precio, & preciū eorum non multiplicaſti. Poſuiſti nos opprobriū vicinis noſtris, ſubſannationem & deriſum his, qui ſunt in circuitu noſtro. Poſuiſti nos in prouerbium gentibus, commotionem capitis inter populos. Tota die ignominia mea corā me eſt, & confuſio faciei meæ cooperuit me. Hæc omnia venerunt ſuper nos, nec tamen obliti ſumus tui, & iniquè non egimus in teſtamento tuo. Et non receſsit retrò cor noſtrum, neq; declinauit greſſus noſter à ſemita tua. Quod contriuiſti nos in loco draconum, & cooperuiſti nos vmbra mortis. Si obliti eſſemus nominis Dei noſtri, & ſi expandiſſemus manus noſtras ad Deum alienum, Nonne Deus requireret iſta? Ipſe enim nouit abſcondita cordis. Sed iam propter te mortificamur tota die, æſtimati ſumus ſicut oues occiſionis. Exurge, quare obdormis Domine? expergiſcere, & ne repellas in perpetuum. Quare faciem tuam abſcondis? obliuiſceris afflictionis noſtræ & tribulationis noſtræ? Quoniā incuruata eſt in puluerem anima noſtra, adhæret terræ venter noſter. Exurge, adiuua nos, & redime nos propter miſericordiam tuam. Ne proijce me in tempore ſenectutis, cum defecerit virtus mea, ne derelinquas me: Vſq; in ſenectam & caniciem, ne derelinquas me, donec annunciem brachium tuum, generationi omni, quæ ventura eſt, potentiam tuam. Eſto memor ꝓmiſsionis tuæ: Geſtabo te, portabo te, vſq; in ſenectā, cum canueris, te feram, curabo, fouebo. Beati qui ſperant in te. Πιστεύω, μικρῇ πίστει ὦ χριστὲ βοήθει. Credo, ſed ô teneræ fidei da robora Chriſte. Tibi ſit laus, gratia, honos, gloria, vnà cum æterno Patre & Spiritu ſancto, vero, vni, omnipotēti, miſericordi, iuſto & ꝓpitio Deo, in omnē æternitatē. Viuimus in verbo velut embryo matris in aluo. Qui cupit in verbo viuere, dicat, Amen. Qui

SEPTENDECIM CAPITA, QVIBVS ANNO 1530. CONFESSIO DOCTRINAE

& fidei Christianæ per D. Lutherum, iussu Electoris Saxoniæ, adhibitis Colloquio alijs Theologis, Iona, Pomerano, Philippo, &c. comprehensa est, & quæ in Comitijs Augustanis proposita sunt, vt ad eorum ductum Confessio Augustana scriberetur, vt etiam omnino factum est.

345

I.



QVOD CONSTANTER ET MAGNO consensu apud nos doceatur, vnicum solum esse verum DEVM, Creatorem cœli & terræ, ita, vt in hac vnica, vera diuina essentia tres sint distinctæ personæ, videlicet, DEVS PATER, DEVS FILIVS, DEVS SPIRITVS SANCTVS. Et quòd Filius à Patre natus ab æterno, sit verè & natura DEVS cum Patre: Et quòd Spiritus sanctus à Patre & Filio procedens ab æterno, sit verè & natura Deus cum Patre & Filio, sicut hæc omnia per scripturam clarissimè & firmissimè demonstrari possunt, Iohan. 1. In principio erat VERBVM, & VERBVM erat apud Deum, & Deus erat illud Verbum, omnia per ipsum facta sunt. Matt. 28. Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti; & plura similia dicta, præcipuè in Euangelio Iohannis.

II.

Quòd solus Filius Dei verus homo factus sit, conceptus de Spiritu sancto, natus ex Maria Virgine perfectus homo, corpore atq; anima constans, & non pater, vel Spiritus sanctus homo factus sit, vt Hæretici Patropaßiani finxerunt,

Vnicum verò medium eſt conſequendæ iuſticiæ, ac liberationis à peccato & morte, ſine omni merito & opere noſtro, credere in filium Dei pro nobis paſſum, &c. Hæc fides eſt noſtra iuſticia. Nam Deus iuſtos, innocentes & ſanctos reputat atq; cenſet, & remiſsione peccatorum ac vita æterna donat omnes illos, qui hanc fidem in Filium ipſius habent, quòd propter Filium in gratiam recipiantur, ac Filij Dei fiant: ſicut hæc omnia S. Paulus & Iohannes in ſuis ſcriptis opulentè docent, Iohan. 3. Vt omnis, qui credit in Filium, non pereat, ſed habeat vitam æternam.

VI.

Quòd hæc fides non ſit humanum opus, nec proprijs viribus eam conſequi quiſquam poſsit, ſed Dei opus & donum eſt, quod ſpiritus ſanctus per Chriſtum donatus in nobis operatur. Et hæc fides cum non inanis & falſa perſuaſio cordis ſit, vt hypocritæ habent, ſed efficax, noua & viua res, multos fructus & opera & bona profert erga Deum, laudando, gratias agendo, inuocando, docendo, prædicando, proximum diligendo, iuuando conſilio, opera, eleemoſynis, mutationibus, & aduerſa tolerando vſque ad mortem.

VII.

Vt hanc fidem conſequamur, inſtitutum eſt à Deo miniſterium docendi Euangelij. Nam per Euangelium Deus hanc fidem, eiuſq; efficaciam, fructus & commoda nobis annunciare ſinit, & per Euangelium, tanquam per medium ſeu inſtrumentum, efficit fidem ſuo ſancto Spiritu, vbi & quando ipſi viſum eſt: alioquin nullum eſt medium aliud, modus ac via fidem conſequendi. Nam cogitationes omnes, extra vel antè verbum prædicatum, quantumuis ſanctæ & bonæ videantur, mera mendacia & errores ſunt.

VIII.

Huic prædicationi verbi adiunxit Deus externa ſigna, quæ Sacramenta nominantur, videlicet, Baptiſmum & Euchariſtiam, per quæ etiam, vnà cum verbo Deus fidem & ſpiritum ſuum exhibet, & confirmat omnes ad ſe confugientes.

IX.

Quòd Baptiſmus primum ſignum ſeu Sacramentum in duabus rebus conſiſtat, nempè aqua & Verbo Dei, ſeu vt aqua baptizentur homines, & Verbum Dei vnà pronuncietur. Nec tantum eſt vulgaris aqua in Baptiſmo, (ſicut Baptiſmi blaſphematores iam docent) ſed cum Verbum Dei aquæ adiunctum ſit, & Baptiſmus in Verbo Dei fundetur ſancta, viuifica & efficax ablutio eſt, ac vt Paulus, Tit. 3. & Epheſ. 5. ſcribit: Lauacrum regenerationis ac renouationis ſpiritus ſancti. Et quòd Baptiſmus etiam infantibus porrigi & communicari debeat.

Verbum autem Dei, quo fundatur Baptiſmus, Matth. 28. extat, Euntes baptizate in nomine Patris, Filij & Spiritus ſancti, Marci 16. Quiſquis crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit.

X.

Quòd in Euchariſtia ſeu Sacramento Altaris, etiam verè præſens ſit in pane & vino verum corpus ac ſanguis Chriſti ſecundum verba: Hoc eſt corpus meum: Hic eſt ſanguis meus: Nec tantum ſit panis & vinum, vt nunc quidam aduerſarij contendunt. Flagitant etiam hæc Verba & conferunt fidem, & exuſcitant eam in omnibus, qui hoc Sacramentum seriò petunt, nec contra illud agunt, ſicut & Baptiſmus, cum petitur, fidem affert & largitur.

XI.

Quòd Confeſsio priuata non ſit legibus extorquenda, ſicut nec Baptiſmus, Cœna & Euangelium vi extorqueri debent: ſed ſit libera, ita tamen, vt ſciamus, quàm ſit ſalutaris ac neceſſaria afflictis conſcientijs propter abſolutionem, hoc eſt, verbum & iudicium Dei, quod in ea pronunciatur, quo conſcientia à peccatis liberatur, & pacata & tranquilla efficitur. Quod etiam non neceſſarium ſit omnia peccata enumerari, ſed illa tantum indicari poſſunt, quibus cor maximè angitur & mordetur.

Quod

XII.

Quòd vna sancta Catholica Ecclesia in terris sit & maneat, vsq; ad finem mundi, sicut Christus inquit, Matth. 28: Ecce ego sum vobiscum vsq; ad consummationem mundi. Est autem hæc Ecclesia nihil aliud, quàm credentes in Christum, qui prædictos articulos, vera fide seruant & profitentur, & propterea in mundo persecutionem ac martyria patiuntur. Nam vbi Euangelium purè docetur, & Sacramenta legitimè administrantur, ibi certò est vera Ecclesia, & nequaquam certis legibus & externa pompa certo loco ac tempori, personis vel gestibus alligata est.

XIII.

Quòd Dominus Iesus Christus in nouissimo die venturus sit ad iudicandum viuos & mortuos, vt credentes ab omni malo liberatos vita æterna donet: Incredulos verò atq; impios pœnis afficiat, & cum Diabolis in inferno æternis cruciatibus puniat.

XIIII.

Quòd interea, donec Dominus ad iudicium veniat, & omnem potestatem ac dominationem abroget, Magistratus politicus honore affici, & obedientia ipsi præstari debeat, Velut status à Deo ipso ordinatus ad defendendos bonos & cohercendos malos.

Quod in tali statu Christianus legitimè vocatus, absq; periculo iacturæ fidei ac salutis animæ, benè viuere & seruire posit.

XV.

Ex his omnibus sequitur, doctrinam, qua sacerdotibus & Ecclesiasti is coniugium & vsus carnium prohibetur, cum tota vita ac votis Monachorum (cùm per ea Dei gratia & salus animæ impediatur, nec libera permittatur) impiam & Diabolicam esse, vt Paulus, 1. Timoth. 4. eam nominat, cum solus Christus vnica via sit ad gratiam, & animarum salutem.

XVI.

Quòd præ omnibus cæteris abominationibus Missa,

quæ hactenus sacrificium & bonum opus iudicata fuit, quo alteri gratia DEI & salus impetretur, abroganda sit: Et loco illius, diuina ordinatio distribuendi Sacramentum corporis & sanguinis Christi sub vtraq; specie, cuilibet ad fidei suæ propriæ confirmationem & propriam consolationem cuiq; necessariam, celebretur.

XVII.

Quod cæremoniæ Ecclesiasticæ, pugnantes cum Verbo Dei, abolendæ sint, cæteræ autem liberæ permittantur, vt ijs vel vtamur, vel non vtamur, secundum normam dilectionis, ne leuiter absq; graui causa scandalum alteri præbeatur, & communis pax sine necessitate turbetur.

DE SVMMA ET ARGVMENTO articulorum Confessionis Augustanæ.

Duæ sunt partes Confessionis, quarum prior articulos numero viginti vnum continens, summam exponit doctrinæ in Ecclesijs purioribus sonantis: posterior pars septem alios articulos addens de abusibus disserit, qui in externis ritibus mutati sunt, & qui controuersiam habent.

1. Articulus agit de vnitate essentiæ diuinæ, & tribus in ea personis.

2. De peccato originis damnante omnes non renascentes per baptismum & Spiritum sanctum.

3. De Incarnatione Verbi, & duabus naturis in vna Christi persona, & de tota Redemtionis, reparationis, iustificationis, & saluationis nostræ doctrina, id est, de omnibus beneficijs Christi, ac de maiestate & gloria Christi, regno, & aduentu ad iudicium.

4. De iustificatione hominum sine nostris operibus, & meritis, siue de iustitia fidei.

5. De ministerio Euangelij & Sacramentorum, tanquam de officina Spiritus sancti, in qua & per quam ipse efficax est, & fidem operatur, &c.

6. De bonis operibus fructibus fidei, & de causis bonorum operum.

7. De

7. De Ecclesia, & notis veræ Ecclesiæ, quæ sunt puritas doctrinæ Euangelij, & verus vsus Sacramentorum.

8. De administratione Sacramentorum etiam per malos facta, & valente propter ordinationem & mandatum Christi.

9. De Baptismo necessario ad salutem, ac de pædobaptismo.

10. De Cœna Domini constante pane & corpore Christi, & vino & sanguine Christi, ac de falsa & impia doctrina Sacramentariorum, Cinglianorum & fanaticorum.

11. De Confeßione & Absolutione priuata retinenda in Ecclesijs, & de impoßibili omnium delictorum enumeratione.

12. De pœnitentia, & eius partibus propriè & præcipuè duabus, Contritione & Fide, quam sequuntur bona opera, vt fructus pœnitentiæ.

13. De vsu Sacramentorum, fidem confirmantium.

14. De ordine Ecclesiastico, & legitima ad docendum vocatione.

15. De ritibus & ceremonijs Ecclesiasticis, quæ sine peccato seruari poßunt: & de traditionibus humanis & votis impijs.

16. De rebus ciuilibus, de magistratu, & legibus politicis, iudicijs, supplicijs, coniugio, &c.

17. De vltimo iudicio Dei, & damnatione Diabolorum & impiorum omnium.

18. De libero arbitrio in rebus rationi subiectis aliquo, in spiritualibus autem ad iustitiam & salutem pertinentibus prorsus nullo. 22. Ianuarij.

19. De causa peccati, voluntate scilicet Diaboli & impiorum, absq; Dei culpa.

20. De Fide iustificante, & de bonis operibus, quomodo ea fieri poßint.

21. De cultu sanctorum, non inuocandorum, sed imi[illegible] in fidei doctrina, & bonorum operum studio, iu[illegible] nem vniuscuiusq;

Posterio-

Posterioris partis articulus primus de vtraque specie Sacramenti in Cœna Domini agit: secundus de coniugio sacerdotum; tertius de Missæ vero & pio vsu: quartus de Confessione & absolutione, seu potestate clauium; quintus de discrimine ciborum & alijs traditionibus inutilibus & impijs: sextus de impijs votis monachorum; septimus de potestate Ecclesiastica non confundenda cum politica administratione, & de iurisdictione Episcoporum.

DE DIVERSITATE EXEMplarium Augustanæ Confessionis.

Habuit Philippus in more, vt libros à se scriptos subinde recognosceret & locupletaret, non tantum Philosophicos, sed etiam Theologicos, Locos communes, epistolam Pauli ad Romanos, ad Colossenses, & similes libros. Cumque Confessio publica Augustæ etiam ab ipso scripta esset, ille putauit quoque se operæ precium facere posse, si & illam interdum augeret, &, pro suo iudicio, vberiorem redderet. Duo autem studio huic obiecta fuerunt, quæ recognitionem istam improbarent. Prius, fuit Electorum & statuum publico nomine exhibita Cæsari Confessio, quæ iam non amplius priuata esset, licet à priuato homine, coniunctis collegis & laborum socijs, iussu tamen magistratus doctrinam illam profitentis, scripta esset. Posterius est, mutatio periculosa, & in doctrinæ sanioris dexteritatem impingens, in decimo nimirum articulo de Cœna Domini.

Iohan Frid. I. Ad prius quod attinet, extat Electoris Saxoniæ peculiaris ad Philippum Legatio scripto comprehensa, quo ostenditur, Philippum iussu Electoris, per D. Pontanum Cancellarium Seniorem præsente Luthero compellatum fuisse, quam ob causam Electoris, & cæterorum Principum atq; ordinum Confessionem in quibusdam immutaret, mitigaret, editionemq; illius de nouo repeteret, cum tamen Confessio non ipsius, sed statuum propria esset, qui [illegible] istam crebram mutationem, in doctrina incer[illegible]

ſtantes cum magna imperitorum hominum offenſione paſſim proclamarentur. Et à Luthero conſtat multoties monitum, atq; rogatum eſſe Philippum, vt ab Auguſtanæ Confeſsionis mutatione & auctione abſtineret, imo etiam interdum cum expoſtulatione dictum eſſe: Quis hoc tibi mandauit? tuum hoc non eſt, &c. Policitus quoque Electori fuit Philippus, ſe deinceps nihil mutaturum eſſe in Confeſsione. 26. Ianuarij.
Poſterius verò quod attinet, prætendunt nonnulli, Principem magni nominis petijſſe à Philippo mutationem decimi articuli, ea ſpe, fore, vt Heluetij ad ſubſcriptionem Confeſsionis hoc pacto permouerentur, ſi præſertim antitheſis illa, qua improbantur ſecus docentes, prorſus omitteretur. Qualiſcunque autem hæc ſit excuſatio, tamen Electoribus, Principibus, & Ordinibus cæteris & Theologis conſtantioribus ſemper illa diſplicuit. Et licet exemplaria aucta paſſim innotuerint, (vnde Pontificij in Colloquio Ratisbonenſi anno 40. & 41. mutationem & diuerſitatem exemplarium noſtris obiecerunt) tamen in eodem conuentu articulus decimus Confeſsioni reſtitutus eſt, & poſteriores editiones Confeſsionis cum hac conditione admiſſæ ſunt, vt ſecundum primam Auguſtæ exhibitam acciperentur, & examinarentur. Reſtitutio autem à Philippo facta eſt his verbis: Fatemur in cœna verè & realiter corpus & ſanguinem Chriſti adeſſe, & cum pane & vino exhiberi ſumentibus. Item, Teſtati ſumus, nos improbare eos, qui negant adeſſe & verè ſumi corpus Chriſti. Abhorremus enim à profanis iudicijs in hac cauſa, &c.

In Germanicis verò exemplaribus Confeſsionis integer & non mutatus permanſit articulus decimus. Quod autem præcipui Ordines primam Confeſsionem ſemper amplexi ſint, oſtendunt teſtimonia, quorum vnum atq; alterum conſiderabimus.

Anno 1561. in frequenti Electorum & Principum conuentu Naumburgi inſtituto, Auguſtus Elector Saxoniæ ſua manu ad Iohan. Fridericum Principem ita ſcripſit: Mihi de nulla alia Confeſs. Auguſtana conſtat, quàm de illa, quæ

Cæſareæ Maieſtati Anno 30. in Comitijs Auguſtanis per Electorem Iohannem, & Haſsiæ Landgrauium & alios paucos Principes exhibita eſt, in qua educatus ſum, & Domino me clementer iuuante, conſtanter perſeuerare, eamq; publicè profiteri conſtitui.

VVolfgangus Princeps Anhaldinus ad Saxoniæ Electorem, propria manu ſcripſit: Paratus ſum ad Confeſsionem, ſicut Auguſtæ Imperatori exhibita eſt, hac conditione, nę quidquam in ea immutetur. Leuitas enim eſſet, ſi aliam Confeſsionem ab illa diuerſam, mea ſubſcriptione confirmarem.

Principes Luneburgici, VVilhelmus & Henricus ad Saxoniæ Electorem ſcripſerunt his vſi verbis: Subſcriptionem non detrectabimus Confeſsioni à Parente noſtro Auguſtæ Imperatori exhibitæ in qua educati & diuina gratia illuſtrati ſumus, certi, quòd hæc ſit vera fides, & certiſsima æternæ ſalutis conſequendæ via, in qua Spiritus ſancti auxilio nos confirmante, ad extremum vſq; vitæ halitum perſeuerabimus.

Noribergenſis Senatus ad VVolfgangum Palatinum ſic ſcripſit: In prima Confeſsione perſiſtemus, Dei beneficio. De immutatis exemplaribus, & diſcrepantibus editionibus viderint autores. Nobis de illis nihil conſtat.

Plerique etiam alij ſtatus his verbis vſi ſunt. Libenter conſentiemus in ſubſcriptionem Confeſsionis anno 30 exhibitæ, eo ſenſu, quo Lutherus eam declarauit, non alio. Reliquas mutatas editiones, multiplicium errorum genitrices, ſecundum primam illam & non econtra, primam ſecundum poſteriores, intelligimus & exponimus.

Decreti Naumburgenſis verba hæc ſunt: Nihil noſtra ſubſcriptione quæritur aut tractatur noui: ſed tantum Confeſsio anteâ edita, & anno 1 5 3 0. in Comitijs Auguſtanis exhibita, piæ Concordiæ augendæ, ſeruandæ, & ſtabiliendæ gratiâ, repetitur.

29. Ianuarij, Inſuper Electores, Principes & Ordines, qui Chriſtianæ Concordiæ libro, manib ſuis ſubſcripſerunt, in præfatione hæc verba poſuerunt: Animaduertimus quoſdam ſub præ

textu.

textu verborum posterioris editionis; corruptelas in negocio Cœnæ, & alios errores occultare, & imperitæ plebeculæ obtrudere voluisse. Testamur igitur, nos nunquam falsa dogmata vllo modo defendere aut excusare, nec posteriorem editionem in ea sententia, quæ à priori illa Augustæ exhibita, vlla parte dissideret, accipere voluisse.

Hæc ideo diligentius perpendenda sunt, vt petulātia quorundam cohiberi aliquo modo posit, qui fingunt, communi statuum consilio Confessionem mutatam esse, & quidem eo modo & sensu, quo Sacramentarij de Cœna Dominica sentiunt & docent: item primam Confessionem pappissare in decimo articulo, ideoq; accipiendam esse secundum posteriorum exemplarium tenorem. Cum autem ipsi status Imperij, qui hactenus Confessioni veræ nomina sua dederunt, ista mendacia refutarint, prolixiore responsione opus non est.

Cæterum vt constaret de genuina veri exemplaris forma, vbi hæc quærenda & reperienda esset, Electores, Palatinus Ludouicus, Saxo Augustus, & Brandenburgicus Ioh. Georgius, primum exemplar ex multorum collatione, etiam ipsius Lutheri manu approbatum, libro suo Christianæ Concordiæ inseri voluerunt. In eo igitur libro Confessio non mutata, Latinè & Germanicè deposita, custoditur, alijs quidē posterioribus editionibus, quæ in Corpore doctrinæ Philippi & alibi extant, non reiectis, sed ad primum exemplar & archetypum relatis, conformatis, & intellectis, & non aliter. Hæc enim declaratio etiam antea ab ipsis Ordinibus ad Imperatores, Carolum, Ferdinandum & Maximilianum, facta & perscripta est, à qua præter Caluinianos nemo piorum vel latum vnguem discessit hactenus, nec deceps discessurus est.

Phil. Mel.

Augustæ an. 1530 Carolus Imperator Confessionem doctrinæ iussit exhiberi, quod eà narrandum est, quia necesse posteritatem scire, Confessionem nostram nec priuato odio scriptam esse, nec obtrusam Carolo non poscenti.

Congessi simplici studio capita Confessionis, quæ extat, complexus pene summam doctrinæ Ecclesiarum nostrarum, & vt Imperatori responderetur, & vt falsa crimina depellerentur. Ac nihil mihi sumsi. Præsentibus Principibus & alijs gubernatoribus & concionatoribus disputatum est ordine de singulis sententijs. Missa est deinde & Luthero tota forma Confessionis, qui principibus scripsit, se hanc Confessionem & legisse & probare. Hæc ita acta esse, Principes & alij honesti & docti viri adhuc superstites meminerunt. Postea coram Imperatore Carolo in magna frequentia Principum, lecta est hæc Confessio, quod ipsum ostendit, non esse obtrusam Cæsari non poscenti.

Hæc Philippus scripsit anno 1560. die suo natali, 16. Februarij: eo anno, quo 19. die Aprilis obdormiuit, natus annos sexaginta tres, & dies totidem: & semper in publicis promotionibus, testimonijs, colloquijs, & literis, Confessionem anno 1530. Imperatori exhibitam allegauit, & mutationis mentionem nullam fecit.

Filius Dei nos in agnita veritate seruet, & corruptelas doctrinæ cum autoribus, impediat & confundat, & ex multiplicibus confusionibus nos liberet, ac ad portum quietis & vitæ æternæ deducat, Amen.

